Tischendorf
1837.

DOCTRINA

PAULI APOSTOLI

DE

VI MORTIS CHRISTI SATISFACTORIA.

SCRIPSIT

LOBEG. FRID. CONST. TISCHENDORF,

SOCIETATIS HIST. THEOL. LIPS. SODALIS.

COMMENTATIO

D. XXXI. M. OCTBR. A. MDCCCXXXVI A S. VENERANDO THEOLOGORUM
LIPSIENSIUM ORDINE
PRAEMIO REGIO ORNATA.

LIPSIAE,

SUMTIBUS J. C. HINRICHSII.

MDCCCXXXVII.

Τὰ τοῦ θεοῦ οὐδεὶς οἶδεν, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα θεοῦ.

Paulus.

GEORGIO BENEDICTO WINER,

S. THEOL. DOCT. ET PROF. ORD. A CONSIL. ECCLES.
REG. SAX. etc. etc. etc.

ET

CHRISTIANO FRIDERICO
ILLGEN,

S. THEOL. DOCT. ET PROF. ORD. CANONIC. MISNENS.
etc. etc. etc.

VIRIS SUMME VENERABILIBUS,

PRAECEPTORIBUS SIBI PIE COLENDIS,

HANC COMMENTATIUNCULAM

SACRAM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Est, quod vehementer gaudeam, contigisse mihi, ut quos gratos erga *Vos*, *Praeceptores dilectissimi*, animus fovet sensus, eos documento qualicumque publice testari possem. Debentur *Vobis*, sunt *Vestrae* hae studii mei primitiae, non ex voluntate mea, non pro nominibus *Vestris* splendidissimis libello praepositis, sed pro magnitudine *Vestrorum* erga me meritorum, quae *Vestrum* me esse jubent.

Te enim, WINERE, *Vir summe venerabilis*, quem patria, quem Germania, quem universa literarum respublica suum esse gloriatur, eundem meum esse, ex animo mihi gratulor. Docuisti me — id quod leve videtur, sed *grave* est, — quid esset legere, intelligere, interpretari auctores Sacros; ad sincerum rerum divinarum me adduxisti studium, et sermonis comitate et animi

benevolentia et consuetudinis suavitate adolescentem ornasti, erexisti, *Tibique* obstrixisti in perpetuum.

Tu autem, ILLGENI, *Vir summe venerabilis*, quam plurimis multum colende, mihi vel maxime! Ex quo enim fere tempore adii Lipsiam, *Tu* tum eruditionis *Tuae* copia, tum humanitate ac liberalitate, et consilio et re ita juvisti mea studia et promovisti, ut non fautorem *Te* meum ac patronum, sed ut paternam *Te* mei rerumque mearum gerere curam, non possim non praedicare.

Itaque hoc opusculo dedicato Vobis atque consecrato, non *Vobis*, sed mihi, neque meo erga *Vos* officio, sed pietati meae satisfacio. Scio equidem, mancum illud esse atque imperfectum, tantaeque rei altioribus, quae adhuc lateant, indagandis rationibus vires meas haud esse pares. Sed videbar mihi, id quod res esset,

videre; nec reformidabam judicia publica de iis, quae probabilia agnoverat S. Reverendus Theologorum Ordo.

Si qua autem excusatione libertatis meae opus est in judicandis aliorum sententiis: non equidem ignarus sum, primam adolescentis commendationem proficisci a modestia; sed putabam, non viros eorumque auctoritatem, sed rem reique veritatem mihi unice spectandam esse, ac licere sententiam ingenue ferre de iis, quae argumentis idoneis refutare posse mihi viderer. Atque confido, judices justos et aequos veniam mihi non denegaturos esse.

Sed ne diutius hisce morer *Vos*, *Praeceptores pie colendi*, id etiam atque etiam rogo, ut non rem, quam offero *Vobis*, spectetis, sed eum, quo id fit, animum, utque persuasum habeatis, nec dulcius, nec gravius ad discendas sacras literas, praeter ipsam veritatem

ipsumque pectus, mihi esse incitamentum, quam *Vestra* de me merita, quam *Vestrum* erga me favorem. Ita valete, diuque valete!

Scribeb. Lipsiae d. XIX. m. Mart. a. MDCCCXXXVII.

C. T.

PROOEMIUM.

Si verum est, Paulum Apostolum pro animi excelsitate, integerrima fide, pietate spectatissima atque pro egregiis de religione christiana meritis, ne cum De Wettio dicam, suo quodam jure alterum Christum posse appellari, certe Apostolorum exstitisse principem: ex ejus, quae canone sacro continentur, scriptis doctrinam divinam recte hauriendam esse, facile conceditur. Quod autem post tot tantasque virorum doctorum curas, quibus Pauli epistolas tractarunt, de ejusdem doctrina tam parum certi etiamnum constat, ut in rebus ipsis gravissimis excellentissimi, qui putantur, aetatis nostrae theologi in diversas abeant partes: id non potest non videri mirum ei, qui nescit, theologos, si exceperis paucos, ad philosophandum, quam ad interpretandum procliviores et fuisse jam dudum et nunc quoque esse. Id non temere dici, tanquam exemplo luculentissimo demonstraturus mihi videor magna varietate earum, quas dogma de morte Christi expiatoria excitavit, rationum sive potius opinionum. Quod quidem dogma quum doctrinae Paulinae ac fere totius Apostolicae cardinem efficiat, profecto non parum refert, quomodo intelligatur atque constituatur. Postquam autem primis post Christum temporibus illam, quam Scriptores S. in salutari morte Christi adumbranda plerumque usi sunt, simplicitatem ecclesiae Patres retinuerunt [1]): jam saeculo secundo exeunte Irenaeus [2]) quaesivit, utrum diabolo an Deo Christus vitam suam tanquam pretium ad redimendos homines solvisset; idque ipsum, quum affirmaret utrumque, in medio reliquit. Ex iis, qui tum insecuti sunt, christianorum doctoribus illam de hominibus per Chri-

1) cf. Clem. Rom. *Ep. ad Cor. I*, 7. 12. 49. Just. Mart. *Dial. c. Typh. p.* 113. 184. 191 *sq.* 204 *sq.*

2) *Adv. haeres.* 5, 1. *cf. cum* 5, 17.

sti mortem ex diaboli potestate redemtis sententiam amplexi sunt plurimi [1]), ita quidem, ut nec in definienda hujus redemtionis ratione consentirent, et unus idemque [2]), qui vitam Christi tanquam redemtionis pretium diabolo exhibitam esse statuebat, eam informaret sibi tanquam sacrificium oblatum Deo. Hos vero impugnavit magnopere Gregor. Nazianz. [3]), qui, praeeunte Euseb. Caesar. [4]), cum Athanasio, Cyrillo Alexandr. aliisque docebat, quod homines pro peccatis commissis Deo debuissent, id ei Christum solvisse cruenta sua morte. Qua quidem sententia, commendata quoque per Joann. Damasc. [5]), unde transiit postea in confessionem graecae ecclesiae orthodoxam [6]), non dubito, praeparatam esse et fundatam, quam saeculo undecimo, efflorescente Scholasticorum philosophia, Anselm. Cantuariensis [7]) arte excoluit et ad rationem certam redegit, satisfactionem illam vicariam, morte Christi θεανθρώπου Deo praestitam. Eandem non probarunt modo Alexand. Hales. [8]), Albertus M. [9]) et Thom. Aquin. [10]), sed auxerunt etiam subtilitate, quum, id quod non plane novum erat, statuerent, Christi satisfactionem, cujus quidem vim nonnisi ad culpam originis referebant, sufficientem et adeo superabundantem fuisse.

Unde factum est, ut ecclesia catholica Anselmi dogma, et adscito thesauro meritorum superabundantium, et afficta satisfactionum humanarum necessitate, sequeretur [11]). Idem illud, rejectis iis, quas dixi modo, Pontificiorum vanis amplificationibus, receperunt sacrorum emendatorum auctores, tum qui Luthe-

---

1) Orig. *hom. VI. in Exod. II. p.* 150. Chrysost. *hom. LXVI. in Joh. Opp. t. VIII, p.* 432 *sq.* August. *de trinit. XIII, c.* 10—15. Basil., Greg. Nyss., Theodoret., Hilar. Pict., Hieronym.

2) August. *de civ. Dei VI, c.* 13. *cf. cum ejusdem l. l. modo.*

3) *Or.* 42. *Opp. t. I. p.* 691 *sq. Or.* 36. *Opp. t. I. p.* 580.

4) *Demonstr. evang. X. p.* 467. *l, p.* 38.

5) *De fide orth. III,* 27.

6) *Conf. orthod. p.* 85 *sq.*

7) *Cur Deus homo?*

8) *Summ. P. III. Q.* 1. *Membr.* 4 *sqq.*

9) *In sentent. L. III, dist.* 20. *art.* 7.

10) *Summ. P. III, Q.* 48 *art.* 2. *et* 4.

11) *Catech. Rom.* 2, 5, 63 *sq. Conc. Trid. Sess.* 14. *can.* 8.

ranam [1]), tum qui Reformatam [2]) ecclesiam constituebant. Brevi autem post ecclesiae nostrae theologi [3]), quum maxime id agerent, ut confessionis Lutheranae capita, si qua parte manca et imperfecta videbantur, complerent et absolverent, satisfactionem Christi excoluerunt ita, ut ab obedientia passiva, qua mortem cruentam pro hominum peccatis pertulit, distinguerent activam, qua virtutem quoque perfectam Christi pro nobis praestitam esse docuerunt. Qua in re convenere cum Calvino [4]) ac fere etiam cum iis, in quas ille vim exercuit, Reformatae ecclesiae confessionibus [5]). Jam vero ab his quum Arminii sectatores discessissent eo, quod ad Scotistarum modum [6]), improbata plenaria Christi satisfactione, existimabant, Deum pro voluntate sua acquievisse in ea unica victima [7]): adeo Faustus Socinus cum asseclis suis, salutem per Christum hominibus partam fere omnem a doctrina ejus divina derivans, non alio eum consilio mortuum esse statuit, nisi quo firmius veritatem doctrinae suae testaretur, quo certius Dei ipsiusque ostenderet caritatem, quoque praeclarius ad imitandum exemplum nobis proponeret. Expiationem autem quandam nostram praedicavit perpetuo fieri a Christo, in coelo apud Deum pro nobis intercedente [8]).

Quod Socini exemplum comminuendi salutarem mortis Christi vim tantopere placuit et comprobatum est, ut primus ille verum invenisse visus sit, atque mox, maxime inde a medio saeculo dec. oct. perplurium theologorum evangelicorum studia eo tetenderunt, ut dogma de vicaria Christi satisfactione vel negarent omnino ex fontibus sacris promanasse, vel auctoritate ac vi vera privarent, vel denique eo explicarent modo, quo cujusvis ingenio atque philosophiae optime convenire videretur. Atque

1) *Conf. Aug. art.* 3. *p.* 10. *p.* 25. *Apol. p.* 190. *p.* 201. *Cat min. art.* 2. *p.* 371. *Cat. maj. art.* 2. *p.* 495.

2) *Conf. Gall.* 17. *Belg.* 20. *Cat. Heidelb.* 31. *Helvet. II*, 14, 13.

3) *Form. Conc. III. p.* 685. *p.* 697.

4) *Institt. II*, 16, 5. *II*, 16, 1.

5) *Helv. II*, 11, 14. *Belg.* 22. *Form. Cons. Helv.* 15.

6) Duns Scot., *in Sent. L. III, dist.* 19 *sq.*

7) Limborch. *th. chr. l. III. c.* 22. §. 5. *c.* 21. §. 6.

8) F. Socin. *Opp.* (*Irenop.* 1656) *T. II. p.* 175. *Cat. Rac. qu.* 384. 387. 408. 479.

hi quidem, quod quaerat tantum philosophia, id ipsum religionem possidere, veritatem dico [1]), aut nesciverunt plane, aut noluerunt intelligere. Ut praetermittam enim eos permultos, qui Socini fere sententiam amplexi sunt [2]), fuere, qui caritatis ac gratiae divinae grave testimonium, utpote quod in re facta positum esset, sive Judaeis ac gentilibus, qui tum essent, sive posteris quoque morte Christi exhibitum esse contenderent [3]). Alii, quae olim jam Tertulliani et Cypriani sententia fuerat, peccatorum condonationem per Christi mortem paratam nonnisi ad peccata ante baptismum commissa retulerunt [4]). Aliis Christus non Deo, sed legi divinae satisfacturus mortem oppetiisse visus est, quam quidem Deus pro eximia in genus humanum gratia huic toti imputaret [5]). Rursus alii nihil nisi sensum symbolicum in morte Christi inesse opinati sunt, atque ex libris sacris ipsorumque ingeniis extricarunt, Christum esse mortuum, ut sub imagine probaret, vel hominem emendatum dolere graviter de statu pristino suo depravato [6]), vel se animis hominum perturbatis pacem reconciliare fiduciamque [7]), vel participem se perniciei nostrae esse factum, ut vitae nos suae sanctae participes redderet [8]), vel hominem, nisi renuntiaturum rebus terrestribus, Dei communione uti non posse [9]).

Quae quidem paene omnia ita sunt comparata, ut Canisii dictum illud confirmare videantur, Scripturam S. velut nasum cereum esse, non praebentem certam aliquam et immotam scientiam, sed quae in quamvis interpretationem flecti possit [10]).

---

1) Verba sunt Pic. a Mirand. *cf. Opp.* (*Basil.* 1601.) *p.* 243 *fin.*

2) Pertinent huc Eberhard, Steinbart, Bahrdt, Gabler.

3) Ita Morus, Staeudlin, Flatt, Schwarze, Nitzsch, Klaiber.

4) Löffler, Gubalke.

5) Hug. Grot., Ernesti, Michaelis, Storr, Seiler.

6) Kant.

7) De Wette.

8) Schleiermacher.

9) Marheinecke, Schrader.

10) Similiter Sam. Werenfels:

Hic liber est, in quo sua quaerit dogmata quisque,
Invenit et pariter dogmata quisque sua.

Quod si minus, certe hoc comprobant, philosophiam, per omne tempus variis indutam formis, theologorum studiis ducem ac moderatricem non esse nisi cum magno verae disciplinae sacrae detrimento. Et ea ipsa tamen in multorum theologorum scholis librisque ad hunc usque diem vigente, non desunt alii, qui, quantum possunt, in eo enitantur, ut antiquum Anselmi ac Reformatorum dogma in honorem atque auctoritatem reducant, quicunque non cum ipsis faciunt, eos omnes diris devoventes. Quorum nonnullos nimia fidem excolendi et propugnandi cupido seduxisse videtur, in contraria ut currerent vitia, ut vel actum quendam forensem Deum inter hominesque Christo intercessore habitum constituerent, ex quo quicunque Christo ipsorumque partibus dedissent nomen, salutem perfectissimam reportarent; vel alia similia proferrent, quae non minus Scriptorum S. menti, quam sane rationi repugnant. In tanto hoc tamque gravi sententiarum certamine difficile sane est, fidenti animo in aciem prodire; neque tamen quidquam faciendum videtur aliud, nisi ut ad simplicem, cautam, integram librorum S. interpretationem confugiatur. Alioquin enim nec fundamentum, quo disputantes recte nitamur, ullum erit, nec rei summa, in qua consentiendum et acquiescendum sit, ulla unquam poterit effici. Ita quidem nihil me novi praedicare glorior; verum et fuerunt et sunt, eosque summa pietate prosequor, viri eruditissimi, qui, quid hac in re sentiendum statuendumque sit, doceant atque sic doceant, uti par est. Quanti autem momenti in nostra ecclesia dogma illud de satisfactione Christi vicaria habitum sit, ipsum Lutherum testem excito, dicentem, eum fidei articulum primum esse atque principalem, de quo cedere aut contra quem aliquid largiri nemo piorum possit, etiamsi coelum et terra atque omnia corruant. Quae quamvis jure suo Lutherum dixisse arbitrer, tamen a pio contra catholicos ardore tanta promanasse videtur severitas. Sed profecto in eum locum adductae res sunt, ut cum Melanthone conquerendum hodieque sit, irrideri eos, qui aliam justitiam praeter philosophicam appetendam esse censeant. Quod vel maxime in eos cadit, qui doctrinam evangelii de salutari Christi morte, sincerae interpretationis nixi auctoritate, profitentur atque propugnant. Quibus ferendum est altum

supercilium illorum, qui aetatis hujus magnam imbiberunt sagacitatem atque sapientiam, in qua quidem magni nihil inesse videtur, nisi levitas, qua opiniones qualescunque severo theologorum studio anteponunt, nisi fiducia, qua sua quisque pro veris venditat. Ac fit fere, nescio quomodo, ut, ubi de morte Christi satisfactoria sermo est, confestim clament magnopere de acerba numinis optimi ira, quae nonnisi profuso sanguine sedari potuerit, atque sic cum umbra fortiter signa conferant.

Attamen jam et ipse, quanquam non ignoro, de satisfactoria mortis Christi vi, quam Paulus Apostolus doceat, nuperrime admodum praeclara ac probabilia passim esse proposita, in ejusdem rei indaganda veritate elaborabo, atque Paulum ex ipsius, non mea mente, quantum fieri potest, explicabo, adhibita quidem non ingeniosa philosophandi arte, non dogmatica ecclesiae auctoritate, non opinione temere concepta, sed mea qualicunque interpretandi facultate. Adjuvet me Deus O. M. et faxit ille, ut jure ego possim cum ipso Apostolo profiteri: *τοῦτο μὲν μυστήριον μέγα ἐστίν· ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς νοῦν Χριστοῦ ἔχομεν!* — Disputationis autem instituendae ratio haec erit, ut primum, summa doctrinae Paulinae quam strictissime proposita, ostendam, satisfactio in morte Christi posita vereque ponenda quaenam illa sit; deinde eandem et ex singulis quibusdam loquendi formis et dictis Apostoli efficiam et ex toto ejus doctrinae ingenio comprobem; tum monstrem breviter, quatenus ea in re cum Paulo consentiant et Christus ipse et reliqui Apostoli, ac denique totius dogmatis addam epicrisin. —

Summa doctrinae Paulinae.

Omnes ante Christum homines virtutem, quae Deo probaretur, quamvis nancisci potuerint, tamen nacti non sunt (Rom. 3, 10.). Etenim tum gentiles, quibus et rerum natura et ipsorum conscientia Deum divinamque voluntatem cognoscendi copia data erat (Rom. 1, 19—21. 2, 1. 14 sq.), prava ac turpia studia sequebantur omnes (Rom. 1, 22—32. Eph. 4, 17 sqq.); tum Judaei legi divinitus latae (Rom. 7, 12. 9, 4. Gal. 3, 19.), quae ipsam servantibus Dei laudem summaque praemia promittebat (Rom. 7, 10. 4, 4. 10, 5.), migrantibus ipsam Dei indignationem poenasque gravissimas minitabatur (Rom. 2, 12. 4, 15.), ut debebant, nequaquam satisfecerant (Rom. 2, 17 sqq.). Omnes igitur peccati quadam servitute atque imperio tenebantur (Rom. 3, 9. 7, 14. Col. 2, 13. Eph. 2, 1 sqq.), Deoque justo (2 Tim. 4, 8. Gal. 6, 7 sqq. 2 Thess. 1, 6 sqq.) improbandi merito (Rom. 3, 23.), poenas divinas non poterant non metuere (Rom. 3, 29. Eph. 2, 3. Gal. 3, 10.). Cernebantur autem poenae istae in morte perpetua (Rom. 5, 16. 18. 21. 6, 21. 23. 7, 13. 8, 6.), quae quidem, exorta primo Adami peccato illo, inde omnibus pariter hominibus incumbebat (Rom. 5, 12 sqq. 1 Cor. 15, 22.). Jam vero quum nemo nec suis ipsius viribus (Rom. 8, 7. 7, 14 sqq.), nec ope legis et quidem legis Mosaicae, quippe quae pro tota sua indole (Gal. 4, 3. 9. 5, 1. Eph. 2, 15. 2 Cor. 3, 6. Rom. 7, 6.) atque hominum imbecillitate libidineque peccata non modo non tolleret, sed etiam augeret et quam gravia, quam atrocia essent, declararet (Rom. 5, 20. 7, 8. 11. 8, 3. 11, 32. 3, 20.), justitiam coram Deo valituram salutemque posset acquirere; omnes miseria perpetua sepulti erant (Rom. 7, 24. 2 Thess. 1, 8 sq.), nisi inde Dei misericordia ac gratia eximerentur. Verum profecto sunt exemti (Rom. 7, 25. Eph. 2, 8.). Deus enim pro eximia erga nos benignitate (Rom. 5, 8. 8, 32. Tit. 2, 11.) in has terras misit Jesum Christum, qui, quanquam eadem nobiscum indutus natura (Rom. 1, 3. 1 Tim. 3, 16.) pariterque et ipse legi obstrictus (Gal. 4, 4.), quum peccati expertem se praestitit (2 Cor. 5,

21.), tum peccatorum poenas, quas commune hominum genus ex lege divina commeruerat, morte cruenta sua, sponte suscepta (Gal. 2, 20. Eph. 5, 2. Phil. 2, 7. 2 Cor. 8, 9.), pertulit (Gal. 3, 13. 2 Cor. 5, 14. 21.). Quo factum est, ut abrogata jam disciplina Mosaica (Rom. 7, 4. 10, 4. Gal. 3, 24 sqq. 5, 1.), et Deo patri (Rom. 8, 15. Gal. 4, 5.) reconciliaremur (Rom. 5, 10. 2 Cor. 5, 18. Eph. 2, 16.) et poenarum istarum liberi fieremus (Eph. 1, 7. Col. 1, 14. 1 Thess. 5, 9. 1, 10.), ut tanquam probi ac justi coram Deo clementi (Rom. 4, 24. 4, 16. Eph. 2, 5. Tit. 3, 5.) declararemur (Rom. 2, 3. Rom. 5, 18 sq. 2 Cor. 3, 9.), siquidem pia fide salutem per Christum nobis oblatam amplexi essemus (Rom. 3, 28. 1, 17. Phil. 3, 9. Gal. 2, 16. Eph. 2, 8.). Cujus quidem salutis per Christi mortem fidelibus partae summa continetur vita aeterna (Rom. 5, 17. 21. 6, 23. Col. 3, 4. 1 Cor. 15, 21 sqq. 1 Thess. 5, 10.); vera autem fides in eo consistit, quod Christum Dei filium esse nobis persuademus; quod qui facit, gratia divina, qua factum est, ut Christus morte sua justitiam felicitatemque nobis compararet, confidit, nec non totam divinam Christi mentem in semetipsum recipit (Eph. 3, 12. Rom. 10, 9. 1 Cor. 12, 3. Gal. 2, 20.). Atque ex hac potissimum fide, quippe liberam in hominum animis excitante caritatem pietatemque et virtutis quandam unitatem efficiente atque perpetuitatem, religionis christianae praestantia et nobilitas vel maxime apparet (Gal. 5, 1. 13. 4, 5 sq. 2 Cor. 3, 6. Rom. 8, 15 sq. Eph. 4, 22 sqq. Col. 3, 12 sqq.). Surrexit autem e mortuis Jesus Christus, ut, quae et dixisset et fecisset, ea Deo rata haberi, documento gravissimo confirmaret (Rom. 1, 4. 1 Cor. 15, 14. Rom. 4, 25. 8, 34.).

De notione satisfactionis in morte Christi positae.

Quod satisfaciendi vocabulum non respondet voci graecae, in literis S. obviae, id impedire non potest, quominus dogma religionis nostrae et grave illud quidem satisfactionis nomine recte appelletur, siquidem res, eo consignata, in Scriptorum S. doctrina revera inesse probatur. Eodem autem usus est ex Scripto-

ribus ecclesiasticis primus Tertullianus et quidem, fere non discedens a veterum Latinorum usu [1]), de iis, quae quis praestat ad reconciliandum sibi eum, quem offendit et ad ipsius Dei favorem consequendum, neque vero de Christi in homines merito [2]). Tamen a Tertulliano inde satisfactionis vocabulum in re ecclesiastica civitate donatum esse videtur, atque eo facilius ad Christum transferri potuit, quo magis accedit ad similitudinem earum vocum, quae in N. Ti libris de Christi beneficiis dicuntur, quales sunt λύτρον, ἀντίλυτρον, ἀπολύτρωσις. Undecimi autem et seqq. saeculorum theologi, quibus satisfacere erat: honorem, quem quis peccando rapuit, Deo tanquam debitum solvere [3]), satisfactionis vicariae nomen nobili suo praefixerunt systemati de Christo humani generis expiatore. Ab his postea transiit in nostram ecclesiam, ex cujus doctrina [4]) Christi vicaria satisfactio omnia ea complectitur, quae ille nostro loco et fecit et passus est ad avertendas a nobis peccatorum poenas Deumque patrem nobis reconciliandum. Duabus igitur continetur partibus: altera obedientia activa, qua per totam vitam perfectissima legis impletione, suscepta nostra vice, nobisque ad justitiam imputanda, sanctitati divinae satisfecerit et expiaverit culpam; altera obedientia passiva, qua tolerata morte sua cruenta pro omnibus hominum peccatis satisfecerit Dei justitiae et sustulerit poenas.

Insunt plura in latiore hujus dogmatis Evangelicorum explicatione, quae, quippe destituta librorum S. auctoritate, minus probanda ac missa sunt facienda. Ita infinitam genus humanum sibi contraxisse culpam et infinitam fuisse offensionem, Deo illatam, quae expiari non potuerit nisi per infinitum pretium sanguinis θεανθρώπου, praeeunte Anselmo docuere theologi nostri, quin aut opus eo haberent ad dogma recte stabiliendum aut fundamento

---

1) Cf. Cic. *Act. I. Verr. I*, 1. *II. Verr. I*, 31. Tac. *d. Germ.* 21.

2) *Cf. De pat.* 3 *et* 13. *De pudic.* 9. *De poen.* 10. — Locum, in quo esset: *Christus peccata hominum omni satisfactionis habitu expiavit*, Doederleinius ipse finxit sibi. Cf. *Instit. th. chr. II.* §. 268. (*ed.* 1797. *P. II. p.* 429.). Memoriter tenuisse videtur verba: *omni satisfactionis habitu expiare*, quae *d. Cult. fem. I*, 1. in re longe alia leguntur.

3) Cf. Anselm.: *Cur Deus homo? Opp. t. III. p.* 42. Varios satisfactionis significatus vide ap. Joann. Dallaeum: *De satisf. hum. p.* 644 *sqq.*

4) Cf. loca supra allata e libris nostris symbolicis.

biblico niterentur. Nimirum cavendum est, ne in causis indagandis rerum potissimum earum, quae singulari quodam divino ductu eveniunt, ultra justos, quibus omnis nostra circumscripta est ratio, fines progrediamur. Docent nos literae S. modo satis probabili, placuisse Deo, pro summa ejus in genus humanum gratia — id quod et ipsi libri nostri symbolici haud dubitanter agnoscunt — intercessore Christo et quidem Christo pro nobis mortem oppetente, salutem aeternam nobis impertiri; jam vero debuisse ita numen supremum agere, nec nisi hoc modo nostram satisfactionem fieri potuisse: id non contenditur sine arrogantia ingenii humani, cujus est quidem videre atque intelligere, quae fiant, ea fieri rationi consentanea, nec vero Dei modum agendi sub leges vocare, quas ipsum fingat. Jam vero etiam in bipartita Christi satisfactione, utraque illa dicta vicaria, activa obedientia theologorum et veterum et recentium commentum est[1]). Quum tamen hujus loci non esse videatur, diligentius in opinionem istam inquirere, satis habeo, relegasse ad viros doctos, qui eam argumentis satis idoneis refutarunt. Sunt autem praeter Toellnerum (1768 et postea) et Morum (1785), Tittmannus (1810) et Winzerus noster (1826). Peccatum scilicet erat in eo, quod id, in quo posita est conditio, sine qua mors expiatoria eaque vicaria locum habere non poterat, tanquam singularem satisfactionis partem proponerent. Christus enim si non ex omni parte observasset legem, ipse jure suo ac merito mortem luisset; sin vero ipsa virtus Christi satisfactio vicaria recte haberetur, ejus morte plane non opus fuisset. Errasse autem theologos istos, satis evincitur ut ex recta locorum, quibus ad probandam Christi obedientiam activam eamque vicariam usi sunt, interpretatione[2]), ita ex toto doctrinae Apostolicae ingenio, quod alienissimum est a commendando dogmate, quo virtutis nostrae studium inhiberi queat atque elevari[3]).

---

1) Ex his, qui peculiariter de ea re scripserunt: Baumgarten, Matthesius, Walch, Schubert, Wichmann, Koecher, Hartmann, inprimis videatur, quem dixi: Chr. Guil. Fr. Walch: *De obed. Chr. act. Gotting.* 1754.

2) Brevissime eam exhibitam vide apud Schottum: *Epit. th. chr. Ed. II.* p. 235.

3) Quae recentissime de obedientia Christi activa eademque vicaria dicuntur, (cf. Olshausen: *Comment. s. Römerbr. ad* c. 5, 12. Tho-

Sed his paucis praemissis de satisfactionis Christi explicatione, qua usa est nostra ecclesia, transeo ad ipsum hujus commentatiunculae argumentum, atque ut dicam breviter id, quod res est: *Inest profecto ex Pauli Apostoli mente ac doctrina in morte Christi vis satisfactoria, quod Christus cruenta sua morte id effecit, ut jam Deus, salva sanctitate sua ac justitia, amorem et misericordiam sequeretur in peccatis hominum condonandis. Christi mors igitur satisfactoria et vicaria fuisse recte dicitur, quatenus mors ex necessitudine mortem inter atque peccatum, exorta illa primo Adami delicto, peccati poena esset, Christus vero, quippe peccati per omnem vitam expers, moreretur peccatorum hominum causa atque hominum loco; quo factum est, ut hi, siquidem veram Christo haberent fidem, veniam peccatorum a Deo impetrarent ac vita aeterna potirentur.*

Jam vero haec quatenus conveniant cum Reformatorum rationibus aut Anselmi, non curo. Nomine satisfactionis, quam Servatoris morti hoc sensu tribuendam existimo, me non abuti, apparet cuique, qui non in verba magistri jurat; quantum autem haec omnis ratio distet ab artificioso Scholasticorum systemate, quantum absit a fovenda hominum impiorum securitate, quantum potius veram pietatem adjuvet, eumque, quo hominem christianum semper decet esse, excitet animum: id satis elucebit, quando probavero, eam non meam esse, non theologorum, sed Pauli esse Apostoli. Qua in re, uti jam indicatum est, ita versabor, ut primum argumenta ex singulis quibusdam Paulinarum epistolarum locis petita proponam, deinde dogma de satisfactoria mortis Christi vi ex universa Apostoli mente ac doctrina comprobem, rejectis simul vanis, quibus usi sunt, dogmatis impugnandi rationibus. —

---

luck: *Beilagen z. Hebräerbr. II. p.* 102. aliique) ea ex alio genere sunt et quidem ejusmodi, quae sublimitate quadam laborent pariter atque commendentur. Vereor autem, partim ne Philonea γνῶσις nec fuerit unquam Paulina, nec nunc Paulina facta sit, partim ne verba sic pro arbitrio sumta et adhibita rem, de qua agitur, implicent magis, quam explicent.

Satisfactoriam vim inesse in morte Christi, apparet ex comparatione, qua Paulus utitur, hujus mortis cum sacrificio et quidem sacrificio piaculari.

Hac in re dijudicanda rectam rituum sacrificalium, qui apud Hebraeos obtinebant olim sensusque, qui iis suberat, cognitionem non minimi momenti esse: ut per se facile patet, ita satis elucet ex mira illa discrepantia sententiarum, quae de iisdem recentiore potissimum tempore in medium prolatae sunt. Attamen mihi non in animo est, neque aut me aut alios delectaturum esse arbitror, diligenti expositione repetere, quicquid viri docti quum de re sacrificali in universum, tum maxime de Hebraeorum sacrificiis expiatoriis senserint, quid finxerint, quid intellexerint. Totam rem ad liquidum perducere, si perductum unquam iri non desperatur, nemo negabit esse perdifficile. Certa vero ubi denegata sunt, non quidem vagandum in opinionibus et conjecturis qualibuscunque, sed standum est probabilibus.

In universum quod attinet ad sacrificia [1]), simplicitati antiquorum hominum convenienter statuere mihi videor, sacrificando studuisse eos numinis favorem sibi conciliare, conciliatum conservare, amissum reconciliare. Hinc commode explicantur tria praecipua illorum genera; modo enim sacrificabant, ut precibus majorem vim adderent, modo ut pro beneficiis acceptis referrent gratias, modo ut peccata commissa expiarent. Quod quidem genus ultimo loco commemoratum nunc ipsum accuratius paulo considerandum est. Percensenti mihi autem ea, quae de sacrificiis Hebraeorum piacularibus vario modo proposita sunt, id non satis cautum esse videtur, ut ne antiqui pro doctis haberentur, iique aeque subtiliter ac nostri fere theologi sensisse putarentur. Sacrificia piacularia instituta esse ad veniam peccatorum impetrandam, illaque fuisse hujus consequendae conditionem vel rationem, ab

---

1) Cf. quae ex Porphyrio de antiquissima sacrificandi ratione affert Euseb.: *praep. ev. I. p.* 28. „οὐρανίους Θεοὺς τῇ θυσίᾳ δεξιούμενοι," et quem Plato *d. rep.* 3. *p.* 390. citat solennem jam apud antiquos versum: δῶρα Θεοὺς πείθει etc.

ipso Deo constitutam, in Levitico refertur. Quod si conceditur, at cogimur concedere iis, quae perspicue scripta leguntur Lev. 4, 20. 26. 31. 35. 5, 10. 13. 16. 18. 26. 19, 22., qui tandem nihilo secius totum sacrificium piaculare nihil aliud, nisi symbolum fuisse contendi potest? Neque frustra connisi sunt, qui ex V. Ti codice evincere studuerunt, tanquam satisfactionem vicariam Hebraeos Deo obtulisse id sacrificiorum genus, quanquam argumenta, quibus in eam rem probandam recentissime usi sunt Schollius [1]) et Tholuccius [2]), vehementer impugnata et ex parte labefactata sunt a Klaibero [3]); tamen non ita, ut hicce sententiam ipsam evertisse mihi visus sit. Verum stat sententia de hac satisfactione vicaria, quae ut toti congrua est religionis Hebraeae ingenio, quippe proponentis Deum tanquam severum legislatorem, ita his potissimum commendatur argumentis:

Primum quod apud Hebraeos pariter atque apud gentiles hominum alteros alterorum vices in peccatis luendis implere, opinio erat [4]); cf. Exod. 20, 5. Jos. 7. 2 Sam. 24, 10 — 25. 2 Sam. 21. Jes. 43, 3. Jes. 52. et 53. Jerem. 31, 29. Thren. 5, 7. Inde substitutionem victimae in offerentis locum, qualis apud eosdem gentiles obtineret [5]), apud Hebraeos quoque obtinuisse, perquam fit probabile. Frustra Klaiberus opponit, in rebus haud levissimis Mosaicam religionem a reliquis discedere; partim enim haec substitutio de Mosaismi dignitate, siquidem detrahit, minus certe detrahit, quam ipsa illa opinio. Jam vero concessa hac ad istam negandam male provocatur ad eximium religionis ingenium. Partim autem similem substitutionem in illo hirci emittendi ritu infuisse constat; cf. Lev. 16. Quo accedit alter, admodum propin-

---

1) Cf. Klaiber's *Stud. der Würt. Geistl. V*, 2. *p*. 132 *ff*.

2) Cf. Tholuck, *Beilage II. zum Hebräerbr*. 1836. *p*. 78 *sq*.

3) Cf. Klaiber's Stud. *VIII*, 2. Haec denuo typis excussa sunt in libr.: *V. d. Sünde u. d. Erlösung*. 1836.

4) Qua in re decernenda De Wettium admodum falsum esse (cf. *De morte Chr. expiat. p*. 21 *sqq*.), non meum est, denuo probare. Cf. Fr. Henr. Guil. Günther: *de mortis J. Chr. fine salut*. 1830. *p*. 11 *sq*.

5) Loca probantia citant Hug. Grot. *Defens. fid. cath. de satisf. Chr. p*. 128 *sqq*. De Wette: *l. l. p*. 18 *sq*. Günther: *l. l. p*. 12. et alii. Cf. praeterea Meiners: *Allg. krit. Gesch. der Relig. II*, 6. Instar omnium testis est Ovid. *Fast. VI*, 162. „*Hanc animam vobis pro meliore damus*.“

quus sacrificiis, ritus juvencae mactandae ad expiandam caedem, cujus auctor lateret; in quo quidem per lavationem manuum supra juvencam factam culpae abluitionem ejusdemque translationem denotatam fuisse, neque De Wettius dubitat (*cf. l. l. p.* 17.).

Deinde quod sanguis, quippe in quo ipsa anima inesset, pro piaculo habebatur; cf. Lev. 17, 11 [1]). Inde lucem accipit multiplex et accurata sanguinis sparsio, qualis nonnisi in victimis piacularibus adhibebatur. Hunc autem victimarum sanguinem loco ipsorum sacrificantium Deo esse oblatum, ex eo quoque confirmatur, quod Numer. 35, 33. homicida vetatur ad expiandam terram alium, quam ipsius sanguinem offerre.

Tum quod sacrificium piaculare impurum habebatur; pollutum scilicet erat peccatis ipsi impositis. Nihili enim Klaiberi objectio est, potuisse impurum illud factum esse manibus offerentium; tum impura alia quoque sacrificia esse debuerunt, quae non fuisse certum est; nisi forte dixeris, hac ipsa manuum impositione, in expiando adhibita, translationem culpae adumbratam fuisse. Id minus probari propterea potest, quod eadem impositio in aliis quoque sacrificiis locum habuit [2]). Attamen augeri videtur probabilitas, partim collato hirco emissario illo, in quem peccata populi translata esse diserte dicuntur manibus impositis, addita quidem culpae confessione cf. Lev. 16, 21., partim comparatione Aegyptiorum, quos per manuum impositionem idem significasse, verisimillimum est. De his vide infra pag. 15. Nec vero plus Klaiberus efficit eo, quod reliquiae victimae piacularis in locum purum deferendae esse dicuntur Lev. 4, 12. Nam secundum Num. 19. cineres vaccae rufae iidem qui, ut clare testatur v. 10., eum qui extra castra ferebat, reddidere immundum, loco mundo asservandi erant. Haec quomodo cohaereant et quantum nostram sententiam adjuvent, bene explicatur in Rosenmülleri *Schol. in V. T. II. p.* 332. *ed.* 1824. Ceterum illum to-

---

1) In eo quoque Hebraei cum gentilibus conveniunt, cf. Virg. *Aen.* 2, 116 *sqq.* et ad eum locum Servius.

2) Errat Cöllnius (*Bibl. Theol. I. p.* 270.) quod in sacrif. piacularibus manuum impositionem conjunctam cum culpae confessione, in aliis vero solam impositionem manuum factam esse contendit, indeque illorum satisfactionem vicariam colligit. Neque enim hircus emissarius, quem citat, revera sacrificium et quidem piaculare fuit, neque, ubi de his ipsis sermo est, mentio fit de adjuncta culpae confessione.

tum ritum num Klaiberus recte existimaverit sejungendum plane esse a sacrificiis, magnopere dubito. Cf. Rosenmüll. *l. l. pg.* 321. *ad v.* 9.

Porro in verbo חִטֵּא de expiatione adhibito substitutionis notionem inesse, ex Gen. 31, 39. probatur. Idem valet de verbo כִּפֶּר ex ratione vocis כֹּפֶר, quae ut compensationem, satisfactionem, Exod. 21, 31. Num. 35, 33., ita aperte substitutionem exprimit Jes. 43, 3. Prov. 21, 18.[1]). Huc pertinent quoque vocc. חַטָּאת et אָשָׁם, quae, quum proprie significent peccatum, tum peccati poenam, de ipsa victima piaculari adhibentur, quippe cui, ut commodissime illa explicari videntur, peccatum vel potius peccati poena inhaereat imposita.

Neque autem profecto nullam rei nostrae lucem afferunt Herodotus et Plutarchus[2]), qui tradunt, Aegyptiis in more fuisse, piaculis diras imprecari atque sic poenam, sacrificantibus luendam, in victimas et quidem in victimarum capita transferendo ab ipsis avertisse, hisque capitibus, onustis scilicet peccatorum mole, vescendis caute abstinuisse. Etenim aliquam cognationem intercessisse inter haec Aegyptiorum et Israelitarum instituta, dubitari nequit. — Nec video, cur hac in re nihili faciamus LXX interpretum auctoritatem, praesertim quum — idque in argumento nostro magni momenti est — non verisimile sit, Apostolos de talibus rebus aliter atque hos sensisse. LXX autem statuisse, victimas piaculares loco sacrificantium peccata luere, apparet ex Lev. 17, 11., ubi בַּנֶּפֶשׁ verterunt per *ἀντὶ ψυχῆς*[3]). — Nec denique negligendum plane illud puto, quod apud Judaeos seriores sententia et de hominum morte expiatoria eaque pro multis vicaria[4]),

---

1) Ibi כֹּפֶר expresserunt LXX per *περικάθαρμα*, quae solennis est vox de veterum Graecorum sacrificiis talibus, de quorum vicaria satisfactione constat.

2) Herodot. *II*, 39. Plut. *de Isid. et Osir. ed. Reisk. t. VII. p.* 433. Cf. De Wette *l. l. p.* 18. et Fr. Imm. Schwarzius: *Nexus doctrinae de sacrif. Lev. et Chr.* 1778. *p.* 27.

3) Ad quem eundem locum Theodoretus haec habet: *ὥσπερ (φησὶ) σὺ ψυχὴν ἀθάνατον ἔχεις, οὕτω τὸ ἄλογον ζῶον ἀντὶ ψυχῆς ἔχει τὸ αἷμα, οὗ δὴ χάριν κελεύει τὴν τοῦ ἀλόγου ψυχὴν, τουτέστι τὸ αἷμα ἀντὶ τῆς σῆς προσενεχθῆναι ψυχῆς.*

4) Cf. *De Maccab. IV*, 6, 29. *et* 17, 21. (*Joseph. ed. Oberth. Vol. III. p.* 1318. *et* 1352.) Cf. etiam Caiphae illud dictum, quod legitur ap. Joann. 11, 50. 18, 14. Praeterea cf. quae permulta loca ex libris Rabbin. aliisque citat De Wette: *l. l. p.* 58 *sqq.* et Schwarzius *l. l. p.* 27.

et de victimarum in offerentium locum substitutione[1]) extra dubium posita est.

Quae quum ita sint, de sacrificiis Hebraeorum piacularibus nihil facile testatius, nihil probabilius statui poterit, quam oblata ea esse tanquam satisfactionem vicariam; quanquam certo definiri non potest, utrum prorsus opus operatum fuerint, an efficacia eorum nonnihil pendere ab offerentis animo judicata sit. Illud certe successu temporis factum est, hoc quibusdam locis prophetarum, moribus populi emendandis studentium, probabile efficitur[2]). Summa quidem rei non mutatur. Haec autem cognovisse, quantum ad totius commentationis hujus argumentum probandum reprobandumve faciat, apparet inde, quod Paulus Apostolus, qui Christi mortem cum sacrificio piaculari comparat atque ita ipsam hujus notionem transfert in illam, non discessisse putandus est a ratione ea, qua populares ipsius illud sibi informarent, nisi doctrinam suam obscurare maluisset, quam illustrare.

Sed antequam ad explicanda ea loca, in quibus comparatio illa conspicua est, progrediar, monendum obiter videtur, interdum a N. Ti scriptoribus metaphorice adhiberi sacrificium in universum de omni eo, quod veluti sacrificium praestatur et suscipitur in honorem Dei vel ratione habita voluntatis divinae, cf. Rom. 12, 1. 15, 16. Phil. 2, 17. 4, 18. 2 Tim. 4, 6. Hebr. 13, 15. 1 Petr. 2, 5. Id quod nihil pertinet ad loca rem nostram probantia, de quibus jamjam agendum est. Et quidem princeps locus, isque revera pro tota sua indole probandi quendam principatum tenet, legitur Rom. 3, 25 sq., de quo dici vix potest quam varie expositum sit. Graeca sic habent:

"Ον (sc. *Χριστόν*) *προέθετο ὁ θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ θεοῦ, πρὸς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐν τῷ νῦν καιρῷ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ.*

---

1) Cf. *Reschith chockma* c. 3. apud Schwarz. *l. l. p.* 22. de Wette *l. l. p.* 20. Idem *Bibl. Dogm. p.* 174. Outram *de sacrif. p.* 159. Euseb. *demonstr. evang.* 1, 10. atque de eo loco Outram *p.* 10.

2) Cf. Hengstenberg's *Christolog. Bd. I. p.* 264.

Opus est, ut primum videamus de singulis, quae explicatione indigent:

ἱλαστήριον est *victima piacularis*, quam interpretationem reliquis, quae hinc illinc male habent, praeferendam esse non dubito. Etenim vocabulum ἱλαστήριον proprie adjectivum, cum θῦμα, ἱερεῖον jungendum, ipsum substantivi vim nactum est; quod in talibus tam saepe factum est, ut ipso loco ep. ad Hebr. 9, 5. explicatio nostra nihil impediatur. *Cf. Dio Chrysost. Or. XI, p.* 184. *Lutet.* 1604. ἱλαστήριον Ἀχαιοὶ τῇ Ἀθηνᾷ τῇ Ἰλιάδι. *Nonn. Dionys. L. XIII. p.* 382. *v.* 9. ἱλαστήρια Γοργοῦς. *Schol. Apoll. Rhod. II, p.* 488. *ed.* 1813., ubi λωφήϊα (ἐφ' οἷς λωφήσει καὶ παύσεται ἡ τῆς νύμφης ὀργή) per ἐξιλαστήρια explicantur. *Herod.* 1, 35. καθάρσιον, per quod Hesychius ipsum ἱλαστήριον illustrat. *LXX Exod.* 20, 24. σωτηρία = שְׁלָמִים. *Clem. Rom. ep.* 1. *ad Cor. c.* 36. *Plut. T. V. p.* 595. *ed. Reisk.* χαριστήριον 2 *Macc.* 12, 45. *Aelian. Var. Hist. XII,* 1. *v.* praeterea *Winzeri progr. Rom.* 3, 21—28. 1829. [1]). *Lamb. Bos. ed. Schaef. p.* 191 *sq.* — Tum vero etiam haec explicatio commendatur analogia locorum: Eph. 5, 2. 1 Cor. 5, 7. 1 Petr. 1, 19. 2, 24. Hebr. 9, 14. 28. al. — Deinde bene quadrat ad verbum προέθετο, quod ipsum de sacrificio legitur *Eurip. Iphig. Aul. v.* 1592. Notat autem προέθετο: *palam, spectandum publice proposuit,* quemadmodum 2 *Maccab.* 1, 8. *et LXX Exod.* 40, 4. de panibus appositiciis, *Plat. Phaed. c.* 64. de mortuo propalam collocando, et similiter saepe dicitur. Atque in eo, quod effecit Deus, ut scirent homines Christum esse piacularem victimam, profecto inest primaria vis sententiae; quod Fritzschius (*Ep. ad Rom. I, p.* 193.) eo minus negare debebat, quum in repetita, quae subsequitur statim, formula: εἰς ἔνδειξιν praecipuum pondus ipse agnosceret. Utrunque vero pari jure contenditur. — Denique explicatio nostra postulatur fere ratione habita eorum, quae addita sunt: εἰς ἔνδειξ. τ. δικ. etc.

διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι: Haec verborum conjunctio simplicissima videtur propter ipsam eorum compo-

---

1) Male quidam ex *Joseph. Antt.* 16, 7, 1. conjecerunt, μνῆμα nostro loco supplendum esse. Est enim apud Jos.: *Numinis placandi causa exstruxit monumentum,* non ita, ut μνῆμα et ἱλαστήριον arcte in unum jungantur.

sitionem; ἱλαστήριον quidem locum non habet, nisi in sanguine Christi, sed per se stat, et claudicat fere additamentum: ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι. Quod Meyerus (*Römerbr. p.* 87.) ex ratione, quae est inter verba εἰς ἔνδειξ. τ. δικ. et ea, quae antecedunt, concludit, parum valet, atque inde ortum videtur, quod verba ἐν τῷ αὐτ. αἵμ. cum voce πίστεως non minus, quam cum ἱλαστήρ. juncta abundare existimat. At vero illa potissimum fidei adumbratio toti hujus loci indoli quam maxime congruit, ac fuit sane, cur Paulus scriberet, fidem nostram hac ipsa Christi morte, quae expiandi vim haberet, tanquam fundamento niti. Id quod sentitur potius, quam demonstratur. — Deinde constructio τῆς πίστεως ἐν etc. non offendit, quin opus sit, ut cum Bretschneidero (cf. *Grundlage des evang. Pietism. p.* 285.) ad hebraismum recurramus. Est enim fides, quae sedem ac fundamentum habet in morte Christi, atque ita major quaedam inest vis in ἐν, quam in εἰς praepos. Partim autem ipsum verbum πιστεύειν ἔν τινι legitur, ut in loco, quem affert Fritzschius, *Ignat. ep. ad Philadelph. c.* 8., partim ἡ πίστις ἔν τινι apud Paulum frequentissima est; cf. Gal. 3, 26. Eph. 1, 15. Col. 1, 4. 1 Tim. 3, 13. 2 Tim. 3, 15. — Neque obstat, quod articulus deest. Talis enim articuli omissio et in Graecorum libris et in N. T. obvia est, tum quando, quam praepositionem sibi adjunctam habet verbum, cum eadem nexum est ejus verbi substantivum (cf. Winer, *Gramm. ed. IV. p.* 128. Fritzsche, *l. l. p.* 194.), tum ubi tale quid additur, quod tanquam fixum inhaerens in substantivi notione cogitatur (cf. Harless, *Epheserbr. p.* 85.). In nostrum locum utrumque cadit. — Jam vero Fritzschius rationem nostram irritam reddere sibi videtur eo, quod magnopere requiratur h. l. notio fidei in *piaculari* morte Chr. repositae, quae desideretur addita voce αἵματος. Errat, si quid video, neque pro arbitrio a Winzero (*cf. progr. l. supra*) piaculi notio substrata est Pauli verbis, sed in his ipsis est insita. Nam sanguis pro cruenta morte positus est (cf. Act. 20, 28. Rom. 5, 9. Eph. 1, 7. 2, 13. Col. 1, 14. 20. 1 Petr. 1, 19. Hebr. 9, 12. Apoc. 5, 9.) habita ratione sacrificalis Hebraeorum instituti, ex quo per victimarum sanguinem fiebat expiatio cf. Hebr. 9, 22. Levit. 17, 11., neque, ut de piaculo cogitaretur, opus erat ipsum addere καθάρσιον, vel simile quid, praesertim quum ἱλαστήριον modo praecessisset. Tum certe eodem id jure postulares Rom. 5, 9. Eph. 1, 7. Col. 1, 14.

— Ceterum gravissima est hoc ipso loco appositio διὰ τῆς πίστεως etc.; fides est enim conditio, qua fit, ut mors Christi vere expiatoria sit, ut vere salutem aeternam nobis comparet. Ea ipsa est autem hic non alia, quam semper fere apud Paulum, πίστις Ἰησοῦ, ut subsequitur in sententiae fine. V. infra.

εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ. Quominus δικαιοσ. θεοῦ tanquam justitia hominibus a Deo tributa intelligatur, nihil fere obstat, nisi tota versuum 25. et 26. sententia; non bene ita intelliguntur verba διὰ τὴν πάρεσιν etc. (v. infra), neque quadrant ea: εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον; quod posterius Dähnius (cf. *Paulinisch. Lehrbegr.* p. 75.); quanquam δικαιοσ. θ. de hominum justitia explicat, de divina justitia intelligit. Id male fit, quoniam repetita formula εἰς (πρὸς) ἔνδειξιν τ. δικ. non tantum differre potest a sensu verborum seqq. εἰς τὸ εἶναι αὐτ. δίκ., haec potius eandem sententiam denuo repetunt atque pertexunt. Neque enim, ut voluerunt interpp., quod his versibus dicitur, idem plane est atque illud: νυνὶ δὲ δικαιοσ. θ. πεφ. v. 21., sed multo plus, sed summa eorum, quae Paulus de Christo servatore docet, vv. nostris continetur. — Accedit, quod εἰς ἔνδειξιν — ad declarandum, ostendendum — aptius dici videtur de Dei justitia, quam de justitia, quam Deus hominibus impertitur; atque quum in eo, quod *ostendit* Deus δικαιοσύνην suam, aperte insit sententiae gravitas, id optime in illam, parum in hanc quadrat. Est autem δικαιοσ. θ. non veracitas, non amor, non benignitas, verum est Dei justitia, quam tum quidem declaravit puniendo peccata, pro quibus Christus mortuus est. Miror, quod tanto opere tamque anxie nonnulli (ut Nitzsch, Stier, Klaiber) renituntur huic explicationi, quae vocis naturae convenit maxime et aptissima est hujus loci sententiae (Cf. Tholuck, *Literär. Anzeig.* 1830. p. 332.). Imperat utique in voce δικαιοσ. et δικαίου pariter atque in Hebraeorum צְדָקָה notio justi, recti, ejus qui τὴν δίκην in omnibus rebus servat, qui suum cuique tribuit aeque puniendo atque remunerando. (Cf. Suicer. *thesaur.* δικαιοσ. *de justitia Dei, qua omnia regit et quam exserit in liberandis bonis et puniendis peccatoribus.*) Itaque δικαιοσύνη quum virtutem in universum denotet, sic quoque dici potest, ut benignitatis et liberalitatis notio emineat, uti Matth. 6, 1. 2 Cor. 9, 9. Id vero huc non pertinet ac sine ulla idonea causa contenditur. Ceterum lectu digna sunt, quae de δικαιοσύνης vocabulo exposuit Olshausen, *Römerbr.* p. 135 *sqq.*

διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγον. ἁμαρτ. ἐν τ. ἀν. τ. θεοῦ: Praep. διά, ut usurpari solet et a Paulo semper usurpatur, juncta cum accus., *propter*, non *per* significat. — ἡ πάρεσις a τῇ ἀφέσει certe apud Paulum nonnihil differt. (De ipso discrimine, quod facile apparet, videatur Meyerus *l. l. p.* 87.) Illustrat locum nostrum Act. 17, 30. Cf. etiam Exod. 32, 34. *Appian. ap. Suidam* explicat πάρεσιν = ἀμέλειαν, καταφρόνησιν; exempla probantia affert Tholuccius (*Römerbr. p.* 125.)[1]). — προγεγ. sunt παραβάσεις ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ, quae dicuntur Hebr. 9, 15., nisi quod Judaeorum pariter ac gentilium peccata intelligenda sunt.

πρὸς ἔνδειξ. est repetitio formulae εἰς ἐνδ. (εἰς = πρός, cf. Winer, *Gramm. p.* 383.) quae partim auget vim, quam ea in re ἡ ἔνδειξις habet, partim praemissis v. ἐν τῇ ἀν. jamque addendis ἐν τῷ νῦν καιρῷ orationis perspicuitatem adjuvat.

εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον κ. δικαιοῦντα etc. His verbis P. respicit ad totum horum versuum argumentum, ad ἱλαστήριον illud διὰ τῆς πίστ., et postquam exposuit, in morte Chr. palam esse factam Dei justitiam: ut in summam omnia conferat, hoc denuo dicit et adjungit id, quod in eadem illa infuit jamque notione τοῦ ἱλαστηρίου, Dei gratia propositi, continetur, τὴν δικαίωσιν eorum, qui Christo fidem habent.

Itaque sic verto: Quem (sc. Christum) Deus proposuit tanquam victimam piacularem per fidem, nixam illam in cruenta ejus morte, ad ostendendam justitiam suam propter praetermissionem peccatorum, ante Christum indulgente Deo patratorum; ad ostendendam igitur justitiam suam hoc ipso tempore, ut et ipse esset justus et justum declararet eum, qui fidem haberet Christo.

Haec loci expositio plus in rem nostram probat, quam ad evincendam mortis Christi dum victima piaculari comparationem, a Paulo usurpatam, opus erat; sed nolebam discerpenda interpretatione locum ipsum discerpere, in quo profecto nervus inest totius causae nostrae comprobandae. Namque quae circa naturam et rationem sacrificii piacularis per Christum facti ad illustrandum

1) Winzerus, V. summe venerabilis, in prog. l. supra dicit, debere h. l. πάρεσιν esse idem quod ἄφεσιν, quia alias non differat a τῇ ἀνοχῇ. At ἀνοχή indicat causam, cur Deus praetermiserit peccata illa, ut χάρις causa est remissionis peccatorum; ἀνοχή Dei indulgentia est, quae per τὸ χαρίζεσθαι etc. conspicua fit.

dicenda sunt: ea hic ipse Apostolus dicit, atque ipse eos, qui symbolicam rei explicationem adamaverunt, refutat planissime.

Pergo ad alterum Pauli locum, qui huc pertinet Eph. 5, 2. *Καὶ περιπατεῖτε ἐν ἀγάπῃ, καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς ἠγάπησεν ἡμᾶς, καὶ παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ θεῷ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας.*

Sunt, qui hunc locum alienum esse putent a confirmando dogmate de Christi morte piaculari, tum propter addita εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, tum quod Paulus h. l. nihil agat aliud, nisi ut Christi erga homines amorem ad imitandum nobis proponat. Ac verum est quidem, praecipue hic versari Apostolum in praecipienda amoris Christi imitatione; sed ita haud excluditur ratio mortis ejus expiatoriae. (*Cf.* 1 *Petr.* 2, 21 *sqq.* et ad eum locum Steiger). Verba: *καὶ παρέδωκ.* etc. ad priora, jam per se perfecta, addita sunt, tanquam quae continerent gravissimum amoris Chr. exemplum, et ipsa Christi mors ad exemplum nobis eatenus est proposita, quatenus erat summum amoris fastigium; in eadem vero simul inest, quod non queas imitari. — Quoniam de morte Chr. piaculari cogitemus, nihil impedimur verbis εἰς ὀσμὴν εὐωδίας; in ipsa enim sacrificii piacularis institutione Levit. 4, 31 de eo legitur: לְרֵיחַ נִיחֹחַ לַיהוָה. Ejusdem autem h. l. rationem haberi, non tantum apparet, ut Klaibero videtur l. l., ex θυσίας voce, quae, quanquam metaphorice usurpatur Rom. 12, 1 Phil. 2, 17 Hebr. 13, 15. 1 Petr. 2, 5., tamen h. l. ad προσφορὰν addita majorem significationis propriae vim habere videtur, sed maxime ex addita formula: ὑπὲρ ἡμῶν. Ita etiam statuunt Harlessius (*Epheserbr. p.* 450.) et Tholuccius (*Beilag. II. z. Hebräerbr. p.* 110.)

Porro dicendum est de loco 1 Cor. 5, 7. *Τὸ πάσχα ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη Χριστός.*

Errant, qui hanc Christi cum agno paschali comparationem a re nostra sejungendam plane ducunt; nam ne ex sacrificiorum numero τὸ πάσχα eximatur, et V. Ti et Josephi et Philonis vetat auctoritas. Exod. 12, 27. 23, 18. 34, 25. agnus paschalis זֶבַח vocatur, atque apud hos scriptores θῦμα et θυσία (*cf. Philon. Opp.* I, 169.). Vix autem certo constitui poterit, quonam in sacrificiorum genere sacrum paschale ponendum sit. Outramus (*cf. De sacrific. p.* 137.), cujus explicationem adjuvant Exod. 12, 26. sq. 13, 14 sqq., eucharisticis adnumerat, quamvis primum illud sacrificium ἀποτρόπαιον fuisse dicat. Habitum esse pro victima

foederi sanciendo mactata, Jerem. 31, 32. testari videtur, ubi verba בְּיוֹם הַחֲזִיקִי בְיָדָם לְהוֹצִיאָם de tempore, quod proxime antecessit exitum ex Aegypto, accipienda sunt, neque ad illud spectant sacrificium post exitum factum, de quo refertur Exod. 24. Fuisse proprie sacrificium piaculare, recentissime Baur[1]) voluit, quocum facit Tholuckius (*Beilag. II. z. Hebräerbr. p. 73. et 110.*), qui quidem primum illud pascha substitutionem habet pro Judaeorum primogenitis. Quod quum V. Ti testimonio confirmari nequeat, negandum est, propriam agni[2]) paschalis vim piacularem fuisse. Hanc vero cum ipsa notione victimae ad foedus sanciendum mactatae sensim ei illatam esse, id jam inde probabile est, quod festo paschatis afferebantur sacrificia piacularia (cf. Num. 28, 22. 30.), ea vero in tota Hebraeorum re sacrificali principatum nacta sunt, et quod liberatio e servitute, in cujus memoriam pascha celebrabatur, praesertim apud Hebraeos successu temporis cum liberatione a peccatorum poenis consociari potuit. Quae sententia ipsius N. Ti auctoritate commendari videtur. Nam collatis cum nostro loco tum Matth. 26, 28., ubi Christus, idque festo paschatis, dicit, Novi Foederis sanctionem ipsius sanguine fieri, qui effundatur ad peccatorum remissionem, tum Hebr. 9, 15., ubi Christus N. Foederis auctor vocatur, quippe qui mortuus sit ad expianda peccata, sub primo foedere commissa: non potest negari, sacrificio, quod foedus sanciret, tum quidem temporis vim expiandi tributam esse atque ipsum paschale sacrificium, cujus in locum piacularis Christi mors, inaugurans N. Foedus antiquato pristino, succederet, pro sacrificio generis ejusdem certe apud N. Ti auctores habitum habendumque esse[3]).

Hos tales Paulinarum epistolarum locos habemus, in quibus ipso sacrificii nomine adhibito perspicua fit mortis Christi cum victima et quidem victima piaculari comparatio. Haec vero mortis salutaris Christi informatio, quae ad id, quod Paulo esset doctrinae christianae summa, exponendum admodum apta erat, altis-

---

1) Cf. *Tübing. Ztschr.* 1832. *H.* 1. *S.* 40 *ff.* Eum a Schollio (*Kleiber's Stud. V, II,* 80.) refutatum esse, Winerus censet, *Realw.* II. p. 235.

2) Agnum, in quo offenderunt multi, nihil obstare, quominus de piaculo cogitetur, satis ostendit Hengstenberg, *Christolog. Bd.* 1. *S.* 277 *sq.*

3) Cf. praeterea Lindner: *Die Lehre vom Abendm.*, p. 482. Kleiber, *Stud. VIII*, 2. p. 65.

time in ejus mente inhaerebat, neque mirum est, quod ejusdem vestigia saepius in Apostoli scriptis deprehendimus. Quae quidem vestigia mihi non dubia sunt; quanquam enim desideratur solennis sacrificii appellatio, vis tamen sacrificalis satis evidenter morti Christi attribuitur. Quemadmodum autem illi loci, de quibus jam jam expositum est, multorum artes experti sunt, qui, nescio quid mali reformidantes, quaevis alia concedere malunt, quam quod ego statui: ita factum est, ut hos, quos expositurus sum, veterent paene in rem nostram excitari. Quod nihil moror. Certe non desunt interpretes, qui admittant id, quod et verborum sensus et Paulus ipse suadeant statuendum esse. Ac primum quidem tractandum mihi sumsi Rom. 8, 3., ubi haec leguntur:

Τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου, ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκὸς, ὁ θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας καὶ περὶ ἁμαρτίας, κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί.

Sic verto: Quod non poterat lex, in quo infirma erat ob carnem: id jam Deus perfecit eo, quod filium suum indutum carne, peccati sede, et quidem propter peccatum in has terras misit, in eaque peccatum ipsum condemnavit.

Apparet, τὸ ἀδύνατον legis fuisse τὸ condemnare peccatum. Dici potest illa quidem condemnasse peccatorem, sed non peccatum ipsum; inest scilicet in condemnandi verbo simul delendi notio. Quemadmodum peccator si condemnatur, moritur: ita peccatum condemnatur ad mortem i. e. deletur. Delebatur autem eo, quod Christus, per totam vitam integer purusque peccati, morte vicaria oppetenda legem (cf. 1 Cor. 15, 56. ἡ δύναμις τῆς ἁμαρτίας ὁ νόμος), cui satisfecit, abrogavit in ejusque locum substituit fidem (cf. Rom. 3, 27. νόμος πίστεως), atque cum fide, totos hominum animos penetrante illa, et justitiam coram Deo valituram et vitam aeternam. Quod ita fieri, decrevit Deus pro gratia sua. — Quominus hic de morte Christi expiatoria agi contendatur, non impediunt (ut De Wettius putat in *comment. p.* 84.) verba, quae tum sequuntur: ὁ νόμος τοῦ πνεύματος et περιπατεῖν κατὰ πνεῦμα; iis enim idem fere significatur, quod alias πίστεως et πιστευόντων vocabulis. Absque viva autem fide expiatoriam mortem Christi locum habere atque vim, nec alibi uspiam docetur. Hoc scilicet tenendum est vel maxime, fidem Paulo non esse vanam rem, sed fere Joanneum illud ἓν εἶναι cum Christo. Valet ista De Wettii objectio contra eos tantum, qui mor-

tem Servatoris cuivis nomen Christo danti miraculoso quodam modo omnem felicitatem parare putant. Hos ipse locus noster erroris convincit et demonstrat, quam arcte cum salutari mortis Christi effectu conjuncta et conjungenda sit christianorum virtus. Momentum autem hic habet formula περὶ ἁμαρτίας, per quam non tantum LXX חַטָּאת et similia reddunt, ut Levit. 5, 7. 6, 25. 37. Num. 8, 8. Ps. 10, 6., atque Philo exprimit idem, quod per θυσία περὶ ἁμαρτίας, (cf. *de victim.* p. 837.), sed etiam sacrificium piaculare aperte significatur Hebr. 10, 6. 8. et addito vocab. προσφορᾶς Hebr. 10, 18. — Hanc interpretationem stare posse, Meyerus (cf. *Römerbr.* p. 175.) negat, quoniam deest in fine versus αὐτοῦ. At de consilio Paulus scripsit ἐν τῇ σαρκί, quin adderet αὐτοῦ. Quum enim in carne Christi peccatum condemnabatur atque ita exstinguebatur, in carne omnium, in universum illud condemnatum et exstinctum est; totum ita amisit imperium in humanum genus, Christo addictum. — Praeterea cum h. l. conferendus est 1 Joann. 4, 10., ubi aperte dicitur Deus *ablegasse filium suum* ἱλασμὸν περὶ ἁμαρτιῶν ἡμῶν. (Cf. LXX Ezech. 44, 27., ubi ἱλασμός = חַטָּאת i. e. sacrificium piaculare.)

Similis huic loco locus est 2 Cor. 5, 21., qui et ipse illustratur nostro et his, quae modo disputavi. Sic habet:

Τὸν γὰρ μὴ γνόντα ἁμαρτίαν, ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν, ἵνα ἡμεῖς γινώμεθα δικαιοσύνη θεοῦ ἐν αὐτῷ.

Probaturi, h. l. ἁμαρτίαν significare ipsum sacrificium pro peccatis oblatum, ad Hebraeos provocant, qui vocc. חַטָּאָה, חַטָּאת et peccati et sacrificii pro peccatis significatu atque אָשָׁם, אַשְׁמָה sensu et reatus et sacrificii pro reatu usurpant. (Cf. *Wineri Lexic. sub his vv.*). Ac, quod plus etiam, quam is Hebraeorum usus probat, provocari potest ad LXX interpp. auctoritatem, apud quos ἁμαρτία ita legitur, ut significet sacrificium pro peccatis, cf. Levit. 4, 21. 24. 5, 9. 12. 6, 25. 4, 29 (ἁμάρτημα); quibus in locis fere omnibus quum non constet lectio, vix verisimile est, librariorum manu pro eo, quod plerumque dicitur: περὶ ἁμαρτίας, ἁμαρτίας, positum esse: ἁμαρτία. Accedit, quod in ipso N. T. ἁμαρτία interdum explicari debet per culpam, poenam peccati, ut Joann. 15, 22. 24. 9, 41. Joann. 1, 29. 1 Petr. 2, 24. (cf. quae ad hunc locum Steigerus notat); inde autem facile transiri potuit ad victimam piacularem, cui imposita erat peccati poena. Neque nihil adjuvatur ea explicatio per addita ὑπὲρ

ἡμῶν. — Quae quidem omnia quum probabilitatis specie commendentur, neque vero non dubitandi et impugnandi locum faciant: malo ego ex tota hujus loci ratione verum ejus sensum investigare. Stabunt ista, si confirmantur his. Paulus, postquam mortem Christi tanquam novae vitae fundamentum proposuit, de reconciliatione loquitur, ac dicit v. 19., Deum reconciliasse sibi homines per Christum, iis non imputantem ipsorum peccata. Illud fieri non potuit, nisi hoc praecessisset. Constat autem, ex Pauli certe sententia, remissionem peccatorum paratam nobis esse per Chr. mortem. Jam v. 20. hortatur, ut homines reconciliationem Dei recipiant; nam, addit, eum, qui expers erat peccati, Deus pro nobis ἁμαρτίαν reddidit, ut nos fieremus in eo (conjunctissimi cum eo) δικαιοσ. Θ. Ante paulo legitur, τὴν καταλλαγὴν niti morte Christi; non aliter commode res in his cogitatur. Ἁμαρτίαν ἐποίησεν non est: hominem fecit; jam enim in verbis τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν inest, Christum fuisse hominem et quidem innocentem; qualem eum esse oportebat, ut ὑπὲρ ἡμῶν fieri posset ἁμαρτία. Ac dubito, an tum haec concinant cum Rom. 8, 3., ubi Deus dicitur misisse filium suum ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας. Opponuntur autem sibi invicem nostro loco δικαιοσύνη et ἁμαρτία; illa Christi fuit et facta est nostra; haec nostra fuit et Christi facta est. Illustrat illud Rom. 5, 9. δικαιωθέντες ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι. Jam vero si haec nostra δικαιοσ. ad Chr. mortem tanquam causam referenda est, ad eandem spectare ἁμαρτίαν admodum probabile est. Et quomodo Christus, quem peccasse nunquam Apost. perhibet, inire potuit communionem peccati nostri, ut adeo peccatum factum esse diceretur (h. e. Christus ita non peccator exstitit unus inter multos, sed ipsum peccatum in se recepit, peccatorum omnium sustinuit vices), quo, quaeso, alio modo, nisi ut in se susciperet peccatorum nostrorum poenas? Suscepit autem eum in finem, ut luendo tolleret et nos, ab iis liberati Christique justitiam induentes fide, Deo justi haberemur. Praeterea cf. quae ad h. l. egregie Calvinus disputat.

Denique hoc agmen claudant nonnulla Pauli loca, in quibus remotior aliqua latere videtur ratio comparandae mortis Christi cum victima piaculari. Ea sunt: 1 Cor. 15, 3. Gal. 1, 4. Rom. 4, 25. Rom. 6, 10, in quibus omnibus mors Christi talis proponitur, quae vim habuerit circa peccata nostra; eam autem nullam aliam esse aut cogitari recte posse, nisi vim sacrificalem, vim

expiatoriam, non est, quod multis demonstretur. Nimirum non perquirenda est appellatio sacrificii piacularis aut maximi momenti facienda, quam potius in ea ipsa, ad mortem Christi translata, non nomen sacrificii, sed expiandi, satisfaciendi potestas urgenda sit.

Ac primo quidem loco, 1 Cor. 15, 3. haec leguntur: Χριστὸς ἀπέθανεν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, quae conferre juvat cum Hebr. 5, 1. 7, 27. 10, 12., ubi tanquam solennis de sacrificio piaculari formula est θυσία ὑπὲρ ἁμαρτιῶν; θυσίας autem notio illo potissimum nexu in verbo ἀπέθανεν contineri potest. — Alter locus Gal. 1, 4. ita habet: Ἰησοῦ Χριστοῦ δόντος ἑαυτὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν; ubi, ut taceam, Matthaeium ex bonis libris pro περὶ rescripsisse ὑπὲρ, ita ut noster locus plane responderet loco priori et formulae modo allatae, haud incommode in memoriam revocaveris illud περὶ ἁμαρτίας, quod, omisso ipso vocabulo θυσίας, victimam piacularem denotat apud LXX, apud Philonem et in N. To. Cf. quae citata sunt ad Rom. 8, 3. Praeterea conferenda sunt 1 Joann. 4, 10. ἱλασμὸς περὶ ἁμαρτιῶν et Hebr. 10, 26. περὶ ἁμαρτιῶν θυσία. — Verum ne mihimet ipsi repugnare videar, non haerendum in verbis, sed videndum est de tota horum locorum sententia. Christus in utroque loco dicitur mortuus esse pro peccatis nostris. Mors peccati poena est, et Christus quoque peccatorum causa mortem subiit, sed peccata aliorum, non ipsius erant. Quum itaque his moriendum esset, eorum loco mortuus est Christus. Nec recte aliquis offendit in eo, quod Christi mors ad ejus corpus tantum pertinuerit, ea vero, quae pro peccati poena Apostolo habita sit, paulo alia fuerit; qua de re cf. infra. Id ipsum tamen jam refutatur fide, quod Christi mors ad modum sacrificiorum piacularium tanquam vicaria et expiatoria proponitur. — Ex iis, quae Gal. 1, 4. addita sunt: ὅπως ἐξέληται ἡμᾶς ἐκ τοῦ ἐνεστῶτος αἰῶνος πονηροῦ, denuo patet, non tantum ad vitam aeternam referendam esse salutarem Chr. mortem, sed ad virtutem nostram maximam vim habere. Scilicet fuit illa testis, quum quanto Christus amore hominum genus amplecteretur, tum quantam Deus justitiae conjunctam haberet gratiam, quae quidem peccata, quorum tristis conscientia inimicitiam hominum erga Deum aluerat, eosque detinuerat in mundi perversitate, propter Christum pro nobis mortuum condonaret, proposita fidei conditione. Sic profecto mors

Chr. habet maximam vim illam, quam non habet, si, quod saepe fit, tanquam egregium testimonium amoris Dei et Christi spectatur, quin expediatur aut expediri queat, cur tandem hoc potissimum modo id testimonium exhibitum sit, et unde tandem tanta in hanc mortem irrepserit gravitas, ut adeo pro vitae christianae fundamento haberetur [1]).

Loco tertio Rom. 4, 25. verba: ὃς παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν alludunt ad expiationem, quae propter peccata offerendis victimis fiebat. Ad παρεδόθη vide Eph. 5, 2. Χρ. παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν προσφορὰν καὶ θυσίαν. Monendum est obiter, addita: καὶ ἠγέρθη διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν non afferre differentiam, quam vocant, dogmaticam; id quod jam dudum Calvinus bene exposuit ita: *Quia resurgendo patefecit Christus, quantum morte sua perfecisset, haec quoque distinctio ad docendum apta est, sacrificio, quo expiata sunt peccata, inchoatam fuisse salutem nostram, resurrectione vero demum fuisse perfectam.* Similiter Rückertus [2]) et De Wettius [3]). Est igitur: ipsa morte expiata sunt peccata, sed resurrectione factum est, ut homines morti, ut expiatoriae, crederent.

Restat Rom. 6, 10. Χριστὸς τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν ἐφάπαξ, ubi apte explicari videntur verba: τῇ ἁμαρτίᾳ per

---

1) Huc conferri potest Hase *Lehrb. der ev. Dogmat. p.* 380 *sub* c.) *et p.* 383 *sub* 8.), quanquam ipsius sententiae nullus adstipulor.

2) *Der Tod machte die Sühnung Gottes möglich, aber die Frucht derselben konnte den Menschen nur durch den Glauben werden und diesen wirkte die Auferstehung, von Gott veranstaltet, um die Menschen in den Genuss dessen zu bringen, was ihnen Christi Tod erworben.*

3) Alterum διά explicat: *vom Zwecke der Bestätigung.* Opponit Krabbius (Dr. Otto Krabbe: *Die Lehre von der Sünde etc. p.* 278.): *In der Gleichmässigkeit der Sätze ruht ein logisch zwingender Grund für die philologisch gleiche Auffassung des διά in beiden Sätzen.* Atvero satisfacit logicae De Wettii explicatio, quum eodem plane modo utrumque διά accipere vetemur tali oppositione τῶν παραπτωμάτων et τῆς δικαιώσεως, quae sibi invicem non accurate respondent. Recte quoque Höpfnerus (*cf. De consecut. sent. in P. ad Rom. ep. p.* 19.): *Quae veniae peccatorum necessitudo est cum justificatione, ut haec consequens illius antecedentis sit perfectio: eodem mortis domini cum ejus resurrectione obtinet cognatio, ut haec vim illius salutarem declaret et confirmet.*

ὑπὲρ (περὶ) τῶν ἁμαρτιῶν, de qua formula vide ad 1 Cor. 15, 3. et Gal. 1, 4. Adjuvat eam explicationem id, quod additum est: ἐφάπαξ, de quo cf. Hebr. 7, 27. 9, 12. 1 Petr. 3, 18. Itaque totus locus de expiatione Christi intelligendus est, quod non modo non vetat orationis nexus, sed etiam commendat atque postulat. Etenim Paulus mortem Christi, quae vere facta est, christianos imitari jubet eo, quod et ipsi moriantur, i. e. valedicant prorsus pristinae vitae perversitati, peccato. Hoc, ait, fieri debet; quoniam recepti in societatem Christi, in societatem mortis ejus recepti sumus. Qui autem moritur, liberatur a peccato. Etiam Christi mors ad peccatum vim habuit. Jam vero quum ipse expers esset peccati, non demum liberari ab eo potuit. Igitur ad peccata hominum, non ipsius, referenda est mors Christi, per quam quidem illi a peccatis liberati dici non poterant, nisi ea pro expiatoria haberetur. — Maxime spectandus est loci nostri versus 7, quem Rückertus (cf. *Römerbr.* ad h. l.) atque Usterius (cf. *Paulin. Lehrbegriff.* p. 211.) explicuere rectius Meyero (cf. *Römerbr.* p. 137. [1])). Ita interpretor: In hominem mortuum, quippe qui morte sua solverit peccati poenam, nullam amplius potestatem habet peccatum. — Praeclare autem, si quid video, Paulus expiationi, per mortem Christi factae, tantam tribuit vim atque potestatem, ut homines, in quorum commodum illa parata est, jam ne possint quidem non abstinere a vita pristina, peccatis polluta.

Haec habui, quae ex Pauli epistolis non male allaturus mihi videbar ad probandam comparationem mortis Christi cum sacrificio expiatorio. Allata sunt, quae propius et quae remotius ad rem facerent. Quibus autem lecturis imbutus opinione praejudicata vel nimio probandi studio ductus in his videbor versatus esse: ii videant, quaeso, ne accusantes accusandi sint ipsi, ac reputent, quae minus certa et minus definita subinde proposuerit Apostolus, ea locis clarioribus, ad haec illustranda comparatis, ad perspicuitatem et certitudinem quandam perducere, esse praestantius, quam, quod fere fit, vagari ipsum incertum in incertis.

---

1) *Eundem* (*Römerbr. p.* 139.) in exponendo versu 10. parum feliciter versatum esse, facile apparet. Commiscet mortem, vere factam, cum morte, quae translate ita dicitur.

Sed restat, ut rationem accuratius paulo investigem eam, quae intercesserit inter Veteris atque Novi Ti expiationem. Scilicet utraque eum in finem instituta est, ut efficeret peccatorum remissionem, a Deo impetrandam; verum ut tota Christi religio institutionis Mosaicae summa erat perfectio, quae quidem ipsa legis antiquae abolitione facta est: ita institutum Hebraeorum sacrificale antiquatum est sacrificio Christi, quippe quo id, quod sacrificia V. Ti ex parte efficiebant vel efficere videbantur, revera atque omni ex parte effectum est. Atque illud quidem gravissimum commune Judaeorum piaculum in unum tantum annum vim habebat ideoque quotannis repetendum erat: expiatio per Christum facta in omne aevum valet, nec unquam repetitur. Tum vero quae V. Ti tempore fiebant sacrificia, tantummodo a viventibus, quas timebant sibi a Deo poenas, averterunt: piaculari morte Christi aeternarum poenarum condonatio parata est. Denique sacrificia ista non nisi poenam culpaeque conscientiam atque id ipsum in breve tantum tempus averterunt, peccatum vero non deleverę, id quod efficere non poterant pro ipsa ejus, ex qua jussa erant, legis totius indole: contra per Christi expiationem una cum poena culpaque deletum est peccatum ipsum, quippe quae ipsam illam legem tolleret, in ejusque locum substitueret fidem, ex qua bona quaevis promanarent.

Patet ex his, Paulum in transferenda victimae piacularis notione in mortem Christi minime offendisse religionis nostrae ingenium, quam πνεῦμα, oppositum γράμματι, institutioni Mosaicae, ipse appellavit. cf. 2 Cor. 3, 6.

Secundum probatur, satisfactoriam in morte Christi positam vim revera docuisse Paulum Ap., ex notione redemtionis, quam per Christi mortem factam esse dicit.

Dubito, miraturos esse, quod novum ac singulare rei nostrae argumentum petam ex iis locis, in quibus redimendi vocabula de salute, per Christi mortem nobis parta, usurpantur. Quicunque enim probare studuerunt, sacrificia inprimisque sacrificia piacularia, ut a Graecis, ita ab Hebraeis spectata esse tanquam λύτρα, tanquam redemtionis pretia, Numini exhibenda, id frustra studuerunt. Quod ad istos attinet, ab omnibus (cf. Danz in Meuschenii *N. T. p.* 869. Wetstein, Kypke, Tholuck aliique) laudatur locus unus Luciani, *Deor. Dial.* 4, 2., ubi Ganymedes Jovi dicit: εἰ δ᾽ ὑπάξεις με, ὑπισχνοῦμαί σοι καὶ ἄλλον πάρ᾽ αὐτοῦ κριὸν τεθύσεσθαι λύτρα ὑπὲρ ἐμοῦ; sed neque de piaculo h. l. sermo est, ut monstravit De Wettius (cf. *De morte Chr. etc. p.* 97.), neque si esset, hoc uno dicto tanquam fundamento totius antiquitatis auctoritatem recte niti posse arbitror. Hebraeos autem victimam piacularem tanquam redemtionis pretium sibi informasse — id quod Tholuccius ut rem confessam ponit, — nec ostenditur locis Exod. 21, 30. Num. 35, 31. Ps. 49, 8. Job. 33, 34. Prov. 21, 18. Jes. 43, 3., ubi quidem כֹּפֶר recte vertitur per pretium ad expiandum, satisfaciendum, verum non de sacrificiis agitur [1]); nec omnino ostendi potest, quum vocc. כֹּפֶר, פִּדְיוֹן, מְחִיר,

1) Fortasse erit, qui opponat, Num. 35, 31. Ps. 49, 8. revera כֹּפֶר de sacrificio piaculari legi, ei sententiae patrocinium petens ex LXX. versione, qui Ps. 49, 8. כֹּפֶר reddidere per ἐξίλασμα. At priore loco de pretio agitur, quod redimit vitam homicidae a Goële (ab eo, qui propinquitatis jure mortem necessarii occisi vindicat), quanquam subsequente v. 33. ratio sacrificii piacularis haberi videtur, ibi vero nec subst. כֹּפֶר occurrit; atque altero loco Psalm. negatur, redimi a Deo posse fratrem per fratrem, quin quicquam de sacrificio dicatur; LXX. vero, pariter atque h. l., Prov. 21, 18. כֹּפֶר per ἐξίλασμα (al. περικάθαρμα) verterunt, ubi non agi de sacrif. piac. probat De Wettius: *De morte Chr. exp. p.* 22. et *p.* 98.

quae respondeant τῷ λύτρῳ, ita adhibita nusquam reperiantur. Ac si Hesychius in *Lexic.* p. 612. λύτρον explicat per κάθαρμα, ἀντίλυτρον per περίψημα, quae vox utraque de piaculis satisfactoriis veterum usurpatur, atque Greg. Nazianz. orat. 36. p. 591. λύτρον illustrat per καθάρσιον; id quidem ex cognatione redemtionis et piaculi atque ex ipsius N. Ti usu, non tamen ex antiquorum hominum sacrificantium ratione fecisse putandi sunt. Profitendum est enim, in N. To notionem τοῦ λύτρον cum sacrificio vel potius cum morte piaculari conjunctam esse arctissime, id quod jam ex ipsius Jesu dicto, Matth. 20, 28. non temere concluserunt interpretes [1]. Neque miror, dicendi modos vel potius imagines in re una eademque describenda adhibitas, tam bene inter se convenire, ut adeo in unum commode conjungi queant, praesertim quum notio redemtionis ac pretii redemtionis, suapte natura haud male respondeat notioni sacrificii piacularis, quamvis illo nomine ad hoc transferendo veteres ipsi abstinuerint [2].

Ego vero satius duco, in ipsam redimendi et notionem et imaginem, quatenus ita dici potest, accuratius paulo inquirere, effecturus inde argumentum mortis Christi, quam Paulus doceat, satisfactoriae; adjungam tamen pauca de arctissima conjunctione, qua sacrificii piacularis et redemtionis notiones a N. Ti scriptoribus in mortem Chr. translatae sunt.

Λύτρον inprimis dicitur tale pretium, quod pro redimendis captivis datur (cf. Phavorin. *diction.* p. 1199 λύτρα = δῶρα τὰ ἐπὶ ἐλευθερίᾳ αἰχμαλώτων διδόμενα); deinde etiam, quod judicibus pro redimenda rei vita solvitur, ut LXX Exod. 21, 30. Significatum permutandi inesse in h. v., facile apparet: solvitur aliquid ad aliud solvendum; datur hoc, ut vicissim reddatur illud; quem quo certiorem sisteret, linguarum orientalium usum contulit Danzius (cf. Meuschen. *N. T.* p. 869

---

1) Cf. Fritzsche ad h. l. *Manifesto satis eam mortis vim indicat, quae sacrificio confertur piaculari.*

2) Praeterea notabile est, quod Latini redemtionem quandam praedicant de iis, qui morti se devovent pro aliis, qui, ut Cicero ait, victimam se praebent reipublicae. Cf. Senec. *ep.* 76. *Si res exegerit, ut pro patria moriaris et salutem omnium civium tua redimas.* De lustrandi verbo, cognato admodum τῷ λύτρῳ, cf. Hug. Grot. l. l. p. 103 sq.

sq.). Jam vero eam propriam τοῦ λύτρου similiumque vocum significationem sensim ita attenuatam esse dicunt, ut nihil nisi liberandi notio remanserit eamque solam urgere liceat. Id quidem ex parte verum est atque testatur eum usum Act. 7, 35., ubi Moses vocatur λυτρώτης; et quum idonea non adsit causa, cur Judaeos exspectantes Messiam, τὸν μέλλοντα λυτροῦσθαι τὸν Ἰσραήλ, de vera quadam redemtione cogitasse statuamus, testantur etiam Jes. Sir. 49, 10. 50, 24. Luc. 1, 68. 2, 38. Cf. etiam Rom. 8, 23. Eph. 4, 30., de quibus locis infra dicetur. Atvero inde qui vindicare sibi velit jus redemtionem nostram per Christum factam, quae a Paulo docetur, eodem liberiore modo explicandi: is male hoc atque inconsulte faciet, partim quod ea vocabula, quae in eadem, atque ἀπολύτρωσις, λυτροῦσθαι, sententia obvia sunt, uti ἀγοράζειν, ἐξαγοράζειν, ἀντίλυτρον, talem interpretandi licentiam plane vetant, partim quod ratio liberandi tanquam redemtio ab ipso Paulo accuratius exponitur.

Quae autem huc pertinent loca, haec sunt: 1 Tim. 2, 6. Eph. 1, 7. Col. 1, 14. Rom. 3, 24. (Act. 20, 28.) Gal. 3, 13. 4, 5. Tit. 2, 14. 1 Cor. 6, 20. 7, 23. (1 Cor. 1, 30.). Ut complectar breviter ea, quae circa hanc redemtionem Paulus docet: tota imago ita se habet, ut Christus dicatur nos redemisse per sanguinem suum, tanquam solutum pretium, a peccatorum poenis et a peccandi miseria; quo factum sit, ut non amplius aut legi, aut hominibus, aut peccato inserviamus, sed Christo, sed Deo. Imago scilicet in his inest, quod salutaris Christi mors a Paulo ita proponitur, ut exstiterit redemtio; quod ea Christi actio, quatenus redemtio erat, nec sub sensum cecidit, nec omnino hominum more facta est. Neque vero Paulus recte egisset, nisi sub imagine lateret veritas, quae per illam illustraretur. Et quidem arctissima cum ea imagine rei veritati intercedit cognatio. Etenim, quae constans Pauli doctrina est, lex peccatumque, a quo non sejuncta est tristis illa mors, nos sibi addictos, tanquam servos, tanquam captivos tenuerant; ex hac servitute sive captivitate exire nobis non datum erat, nisi intercedente Christo. Ea intercessio cruenta ipsius morte facta est. Mors autem ab ipsa lege peccatoribus proposita erat conditio (poena), qua et a lege et a peccato liberarentur. Jam quum omnes peccatores et legis debitores essent, mori debebant omnes, uno excepto Christo. Is

vero mortuus est, ut commune illud hominum debitum solveret, ut satisfaceret eorum nomine legi atque ita ipsi Deo legislatori [1]), sive Dei justitiae, quae res humanas ita constituit, ut homines, divinae legi subjecti, si legi non satisfacerent faciendo, patiendo satisfacerent sive poenis legis essent obnoxii. Quod quidem eum in finem a Christo perpetratum est, ut jam et ipsi et Deo per totam vitam totoque animo addicti adhaereremus salutisque aeternae fieremus participes.

Sed de singulis Pauli locis breviter exponendum est.

1 Tim. 2, 6. haec leguntur: Χρ. Ἰησ., ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων· τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις. Simillima sunt ipsius Christi verbis Mtth. 20, 28., ubi se venisse ait, δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν. Quemadmodum in his vicaria mors per praep. ἀντί significatur, ita nostro loco vicarii notio eminet in composito ἀντίλυτρον. Parum differunt hoc nexu πολλοί et πάντες. Omnibus enim destinata est salus Christi, a multis, non ab omnibus recepta; πάντες sunt omnes, qui secuturi sunt Christum. — In verbis ὁ δοὺς ἑαυτόν inest, Chr. sponte ac libenter mortem oppetiisse. — Paulum autem rem ita sibi informare, ut Chr. moriens vitam suam pro hominibus solverit Deo, comprobant ea quoque, quae proxime antecedunt: εἷς μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἄνθρ. Ἰ. Χρ.; eumque hanc doctrinam de salute per Chr. mortem vicariam nobis parta tanquam evangelii summam spectare, ostendit orationis continuatio: τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις, εἰς ὃ ἐτέθην ἐγὼ κῆρυξ καὶ ἀπόστολος etc.

Eph. 1, 7. Ἐν ᾧ (sc. Χρ.) ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, τὴν ἄφεσιν τῶν παραπτωμάτων, κατὰ τὸν πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ. Illustratur ἡ ἀπολύτρ. verbis appositis. Si non idem plane est redemtio atque peccatorum remissio, certe in illa hanc maxime urgendam esse, docet appositio [2]). Sed idem esse utrumque, locus ep. ad

---

1) Cf. Stier: *Beiträge z. bibl. Theol. p.* 105. *Christus hat allerdings sein theures Blut als λύτρον bezahlt, aber an uns Menschen, die Armen, Nackten und Verlornen, Bankeroten hat Christus sein heiliges Leben vermittelst des Todes und der Auferstehung gezahlt.* Talis interpretatio sive disputatio a sophistarum ratione vix multum differe videtur.

2) Praegnanti, ut dicunt, significatione ἀπολύτρωσις legitur 1 Cor. 1, 30., qua convenire videtur cum τῇ σωτηρίᾳ. Ita Eph. 4, 30. Rom. 8, 23. refertur adeo ad perfectam, quae nos manet olim, liberationem ab omnibus vinculis terrestribus.

Hebr. 9, 15. probabile efficit, ubi est: ἀπολύτρωσις τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων. Quod quidem consentaneum est multis Pauli locis; maximi enim facienda est peccatorum remissio, liberatio a peccatorum poenis, ex qua promanat et salus nostra et ipsa nostra virtus. Ceterum bene jam veteres, ut Greg. Naz. *orat.* 36 *p.* 591. Chrysost. *hom.* 14 *in ep. ad Rom.* Theophyl. *ad Col.* 1, 14. eam vim, quae inest in praep. ἀπολύτρ., ita notarunt: τελείως ἐλυτρώσατο, ut ne amplius ad priorem captivitatem revertamur. Cf. Hebr. 9, 12. αἰωνία λύτρωσις. — ἐν ᾧ ἔχομεν est: *quocum conjunctissimi habemus;* certissimum est enim, *habere* nos redemtionem, siquidem sumus ἐν Χριστῷ. — τὸ αἷμα Χρ. est, λύτρον, ut Col. 1, 14. Act. 20, 28. (ubi etiam Pauli verba leguntur) ἐκκλησίαν θεοῦ, ἣν περιεποιήσατο διὰ τοῦ αἵματος τοῦ ἰδίου. Sanguis potissimum pro cruenta morte nominatur secundum illud: χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις, Hebr. 9, 22. — Praedicat autem h. l. Paulus summam Dei gratiam, conspicuam illam in salutari Chr. morte; cf. 2, 7 sqq. Id minime repugnat justitiae divinae, in eadem manifestae, cf. Rom. 3, 25 sq., quem locum falso contulerunt cum nostro (ut C. C. Tittmann: *opusc.* p. 372.). Qua de re vide infra.

Col. 1, 14. eadem fere atque Eph. 1, 7. verba leguntur, nisi quod appositio διὰ τ. αἵμ. αὐτ. incertae auctoritatis est, ac pro παραπτωμ. legitur ἁμαρτιῶν (eodem nexu Hebr. 9, 15. παραβάσεων).

Rom. 3, 24. δικαιούμενοι δωρεὰν, τῇ αὐτοῦ χάριτι, διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χρ. Ἰ. Ibi redemtio, quam Paulus dicit, illustratur verbis subseqq., de quibus cf. pag. 17 sqq.

Gal. 3, 13. Χριστὸς ἡμᾶς ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρας τοῦ νόμου, γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα. Exsecratio legis est poena, quam lex comminatur peccantibus. Participium appos. designat redimendi modum; ita Chr. liberavit homines a poenis, ut ipse toleraret poenas. Vitam quum solveret is, cui non solvenda erat, aliorum loco solvit, ita ut ne amplius ad hos nec poena metuenda illa, nec ipsa lex pertineret. Scilicet ad auferendum peccatum auferenda erat lex, quae fuit Paulo ἡ δύναμις τῆς ἁμαρτίας, cf. 1 Cor. 15, 55. — Formulam ὑπὲρ ἡμῶν (de qua v. infra) significare h. l. *nostra vice*, agnovere Usterius (cf. *Galaterbr.* p. 103.), Rückertus (cf. *Galaterbr.* p. 141.), Krabbius (cf. *l. l. p.* 11.).

Gal. 4, 4 sq. Ἀπέστειλεν ὁ Θ. τ. υἱὸν αὐτ., γενόμενον ἐκ γυναικὸς, γενόμενον ὑπὸ νόμον, ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ, ἵνα τ. υἱοθεσίαν ἀπολάβωμεν. Subjectus legi Christus et ipse erat, eamque observabat per totam vitam. Hoc utrumque fieri opus fuit, ut hominum loco legi satisfacere posset sua morte. Tamen redimendi ratio h. l. non accuratius describitur. — Ex additis ἵνα τ. υἱοθεσίαν ἀπολάβωμ. apparet, quam arcte Paulus cum liberatione a lege miseroque ejus comitatu conjunxerit pietatem fiduciamque. — Praeterea non offendit, quod ὁ νόμος ad Judaeos tantum spectasse videtur, Paulus vero aeque de gentilibus atque de Judaeis loquitur. Nam ipsorum gentilium causa abolenda erat lex, ut pervenirent in communionem salutis Judaeis jam dudum divinitus promissae. Cf. Gal. 3, 14. Eph. 2, 11 sqq. Accedit, quod P. gentiles pariter atque Judaeos peccatis obrutos poenisque obnoxios dicit. Cf. supra pag. 7.

Tit. 2, 14. Ἰ. Χρ., ὃς ἔδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν, ἵνα λυτρώσηται ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἀνομίας καὶ καθαρίσῃ ἑαυτῷ λαὸν περιούσιον etc. De voce ἀνομίας cf. 1 Joann. 3, 4. ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. Quomodo Christus morte sua nos redemerit a peccato ipso, quum alias dicatur nos redemisse a lege et a legis poenis, id non denuo exponendum videtur. Pari modo dicit Petrus I, 1, 18 sq. ἐλυτρώθητε ἐκ τῆς ματαίας ὑμῶν ἀναστροφῆς πατροπαραδότου τιμίῳ αἵματι Χριστοῦ [1]. Abalienati autem a peccato, facti sumus sanctus Dei populus.

1 Cor. 6, 20. et 7, 23. Utroque loco legitur: Τιμῆς ἠγοράσθητε. τιμῆς = τιμίῳ αἵματι Χρ. Redemti sumus et quidem Christo et Deo, ut patet ex orationis continuatione. Quapropter admonemur, ut nos hac redemtione dignos praebeamus, ut ad illorum voluntatem vitam nostram componamus neque amplius hominibus aut nostris cupiditatibus inserviamus.

Jam vero quam arcte connexerit Paulus victimae piacularis et pretii ad redimendum soluti notiones, translatas in salutarem mortem Christi, ex his, quae jamjam tractavi, locis facile quisque videt. Tamen quo apertior animo obversetur earum conjunctio adeoque unio, ad haec tria potissimum attendi potest:

---

1) Cf. v. Ammon Bibl. Theol. t. III. p. 51. *Der Tod Jesu hat von dem sclavischen, alle Tugend vereitelnden Gesetze befreit.*

Primum τὸ αἷμα vocatur pretium a Christo solutum, ac pariter sanguis pro Chr. morte ponitur, ubi de ea sermo est tanquam de sacrificio piaculari, scilicet habita ratione sacrificalis legis illius, quae traditur Lev. 17, 11.

Deinde Christus tanquam μεσίτης nos redemisse dicitur; mediator autem Dei hominumque et apud Hebraeos et apud alias gentes[1] habitus est sacerdos, Deo offerens sacrificia populi.

Denique Rom. 3, 24. ἡ ἀπολύτρωσις ἡ ἐν Ἰ. Χρ. explicatur v. 25, in quo, ut supra demonstratum est, Christus tanquam victima piacularis proponitur. (Cf. etiam Hebr. 9, 12—23., ubi λύτρωσις et καθαρισμός promiscue dicuntur.)

Ad eam comparationem mortis Christi cum soluto redemtionis pretio proxime pertinent ea, quae Col. 2, 14. leguntur: Ἐξαλείψας (sc. Θεός) τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν, ὃ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν, καὶ αὐτὸ ἦρκεν ἐκ τοῦ μέσου, προσηλώσας αὐτὸ τῷ σταυρῷ. De verbo ἐξαλείφειν cf. Act. 3, 19. ἐξαλείφ. τ. ἁμαρτίας; idem admodum in usu fuit apud veteres de legibus abolendis; cf. quae loca affert Bährius in comment. ad 2, 14. — χειρόγραφ. τ. δόγμασιν est lex Mosaica, quae decretis suis, quippe quibus non satisfactum esset, nostra quasi syngrapha exstiterat, nos peccatores consignatos habebat tanquam debitores. Hoc chirographum, quod erat contra nos — exigebat enim a nobis poenas atque animos nostros a Deo aversos tenebat — Deus delevisse dicitur, ita ut cum Christo moriente quasi affixerit cruci. Scilicet poena nostra legitima (sive debitum), quae erat mors, per Christum nostra vice mortem perpessum persoluta est, atque Deus una cum hac legem ipsam delevit. Ceterum verba nostra addita sunt ad χαρισάμενος ὑμῖν πάντα τὰ παραπτώματα. Utraque semet invicem illustrant, atque ex ea norma, qua participia sine copula juxta se posita explicanda sunt, τὸ ἐξαλείφειν Paulus factum cogitat ante τὸ χαρίζεσθαι, id quod rei naturae satis convenit. — Deus autem delevisse chirographum rectissime dicitur. Christus enim solvit pretium, Deus legislator custosque legis abolevit legem, quin quicquam detrahatur de satisfactionis vicariae dogmate, quod Paulus in his quoque tradit[2]. Neque

---

1) Cf. Creuzer's *Symbolik t. 1, p.* 186.

2) Haec dicta sunt contra Bährium: *Colosserbr.* ad 2, 14. *θεός bleibt Subjekt bei ἐξαλείψας und somit liegt in unserer Stelle ein starker Gegenbeweis gegen die satisfactio vicaria.*

tamen assentior Steigero (Colosserbr. p. 287.), notanti, Christum ipsum fuisse et legem et legislatorem V. Ti. et similia. Inest enim in verbis προσηλώσας αὐτὸ τῷ σταυρῷ: quemadmodum Chr. est affixus cruci, poenam lege praescriptam perferens, ita ipsum illud chirographum quasi affixum est cruci, h. e. deletum. Comparatur non corpus Chr. cum chirographo, sed abolitio legis, chirographi cum supplicio crucis. — Conferre huc juvat Eph. 2, 16. ἀποκτείνας τὴν ἔχθραν ἐν αὐτῷ h. e. σταυρῷ; haec inimicitia orta erat ex culpa poenaque jam instanti.

Denique hic opportune annexurus mihi videor loca ea, in quibus Christus dicitur nos servasse ἀπὸ τῆς ὀργῆς τοῦ θεοῦ. Cognata admodum sunt verba his locis adhibita: σώζειν, ῥύεσθαι verbis ἀγοράζειν, λυτροῦσθαι et similibus. Redemtio est modus servandi, liberandi, atque idem est redimere a poenis et a poenis servare, nisi quod illic cum liberandi notione conjunctum est id, quod translatum in Christi mortem efficit argumentum substitutionis sive mortis vicariae. Neque minus vero ii, quos tractaturus sum, loci vim atque auctoritatem rei nostrae comprobandae sibi vindicant eo, quod mortem Chr. referunt ad justitiam Dei atque huic morti tanquam meritum tribuunt, quod non amplius Dei severitas, sed caritas, non poena, sed salus ad nos pertineat. Huc afferendi sunt Rom. 5, 9. 1 Thess. 1, 10. 1 Thess. 5, 9 sq. Eph. 2, 3., qui quidem id commune habent, quod agunt de ὀργῇ θεοῦ. Ὀργή autem illa, quae est Dei pro summa ejus sanctitate aversio a peccato et a peccatore, in eo cernitur, quod peccatum cum poena vult conjunctum esse.

Rom. 5, 9. Postquam dixit Paulus, manifestam esse Dei gratiam inde, quod Christus pro nobis peccatoribus mortuus sit, pergit: Quanto vero magis, δικαιωθέντες νῦν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ, σωθησόμεθα δι' αὐτοῦ ἀπὸ τῆς ὀργῆς. Justificati qui sunt per mortem Chr., iidem simul videntur servati per eandem esse a punientis Dei ira. Ac profecto sunt; disjungit autem Paulus de consilio ea, quae quanquam juncta tamen commode seorsim spectari possunt. Est enim referenda ἡ ὀργή ad futurum judicium (ἡμέρα ὀργῆς Rom. 2, 5.) et eadem est, quae dicitur ἡ ἐρχομένη, ἡ μέλλουσα ὀργή, cf. 1 Thes. 1, 10. Matth. 3, 7. Justificatos jam nunc nos esse sentimus; pariter persuasum nobis est, servatum nos iri a poenis, quae manent impios, sed quum hoc futurum sit, non dicimur servati jam esse, antequam advenerit

judicii tempus. — Si autem ὀργή spectat ad impiorum poenam, quam ex lege divina constat esse τὸν θάνατον (de hac morte plura infra dicentur), oppositum τῇ ζωῇ αἰωνίῳ (cf. Joann. 3, 36. Rom. 4, 15. cum 7, 10. 2, 5. 9, 22. vide supra p. 7.), nos vero ab ea servati sumus per mortem Christi pro nobis oppetitam: manifesta est et substitutio et satisfactio. His ipsis explicantur:

1 Thess. 1, 10. Ἰησοῦν, τὸν ῥυόμενον ἡμᾶς ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης.

1 Thess. 5, 9 sq. Οὐκ ἔθετο ἡμᾶς ὁ Θεὸς εἰς ὀργήν, ἀλλ' εἰς περιποίησιν σωτηρίας, διὰ τ. κυρ. ἡμ. Ἰησοῦ Χρ., τοῦ ἀποθανόντος ὑπὲρ ἡμῶν, ἵνα — — ἅμα σὺν αὐτῷ ζήσωμεν. In his quoque eminet, quod saepius vidimus, salutem nostram, Dei Christique beneficium, valere vel maxime ad hanc ipsam vitam. Condonata nobis propter Chr. sunt peccata; jam praeteriit tempus peccati, praeteriit omnis pristina sub lege vita. Factum est illud deleta lege, in ejusque locum substituta fide, eo quidem consilio, ut viveremus cum Christo; aliter autem ne possunt quidem ii, qui veram habent fidem. Haec fides, haec vita cum Christo conjunctissima non tantum salutis aeternae, per Chr. nobis partae, nos reddit dignos, sed etiam ipsa salus est, illius est initium.

Restat Eph. 2, 3, ubi est: ἦμεν τέκνα φύσει ὀργῆς, irae Dei obnoxii eramus, sed sanctiores natura ipsi nos Judaei, quam ceteri, quam gentiles. Tum sequitur, jam nos servatos ab ea ira esse Dei gratia per fidem Christo habitam.

Tertium probatur Pauli Apostoli doctrina de satisfactoria mortis Christi vi ex formula: Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανεν.

Fuerunt, qui ex sola natura et usu praepositionis ὑπέρ demonstrare conarentur, Paulum docuisse satisfactionem Christi vicariam; alii rursus negarunt, praepos. ὑπέρ a N. Ti. auctoribus recte positum esse pro ἀντί, inde probaturi contrarium. Pecca-

tum utrinque est. Sola praep. utramque pariter adjuvat sententiarum partem; pariter, inquam, utramque. Namque in promtu sunt, contra perplurium opinionem, desumta ex multis veterum Graecorum scriptoribus loca, quae praepositioni *ὑπέρ* significatum: loco, vice alicujus, plane vindicant [1]); atque ipsum Paulum eodem significatu eam usurpasse, et quidem in locis, quae ad nostram rem non pertinent, nemini potest esse dubium [2]).

Si autem quaeritur, cur hac potissimum praepositione incerti et fluctuantis significatus in re tam gravi usus sit Apostolus, haud responderim, illum ipsum ea de re haesisse dubium aut de consilio rem reliquisse in medio; verum inest in ipsa praepositione, quo fit aptior reliquis ad describendam Christi mortem pro nobis oppetitam. Etenim in hoc versari rei summam, quod Christus mortuus sit in commodum hominum, nemo negat; atque id qui-

---

1) Cf. Herodot. 7, 114. *Ἄμηστριν πυνθάνομαι παῖδας ὑπὲρ ἑωυτῆς τῷ ὑπὸ γῆν λεγομένῳ εἶναι θεῷ ἀντιχαρίζεσθαι κατορύσσουσαν.* Sermo est de pueris, quos Persarum regina sacrificabat.

Thucyd. 1, 141. fin. *μέλειν δέ τινι καὶ ἄλλῳ ὑπὲρ ἑαυτοῦ τι προϊδεῖν.*

Xenoph. hist. gr. 3, 4, 15. *προειπὼν δὴ ὁ Ἀγησίλαος, ὅστις παρέχοιτο ἵππον καὶ ὅπλα καὶ ἄνδρα δόκιμον, ὅτι ἐξέσται αὐτῷ μὴ στρατεύεσθαι, ἐποίησεν οὕτω ταῦτα ξυντόμως πράττεσθαι, ὥσπερ ἄν τις τὸν ὑπὲρ αὐτοῦ ἀποθανούμενον προθύμως ζητοίη.*

Palaeph. de incredib. hist. c. 41. *λέγεται μῦθος, ὡς δὴ μέλλοντός ποτε τοῦ Ἀδμήτου θανεῖν, αὕτη εἵλετο ὑπὲρ αὐτοῦ θάνατον.*

Polyb. 3, 67, 7. *τοὺς μὲν ἄνδρας* (triumviros interceptos) *αὐτοῖς ἀπέδωκε, παραγγείλας τηρεῖν, ἵνα ὑπὲρ τούτων κομίσωνται τοὺς αὑτῶν ὁμήρους.*

Dion. Halic. 8, p. 553. lin. 41. sqq. Francof. 1586. *Οὗτοι τὴν ἀρχὴν παραλαβόντες ὑπὲρ τῶν ἀποθανόντων ἐν τῷ πρὸς Ἀντιάτας πολέμῳ στρατιωτῶν, ἠξίουν ἑτέρους καταγράφειν.*

Eurip. Alcest. v. 701. *μὴ θνῆσχ' ὑπὲρ τοῦδ' ἀνδρὸς, οὐδ' ἐγὼ πρὸ σοῦ.* Ibidem v. 289 — 291. *ἐγώ σε* etc. Cf. etiam infra pag. 58. not. 3.

2) Cf. Philem. 13. 2 Cor. 5, 20. 1 Cor. 15, 29. (Ex Tertull, Chrysost. et Epiphan. constat, talem baptismum *vicarium*, apud haereticos quidem, in usu fuisse; cf. Binghami Origin. 1727. IV, p. 196 sqq.; nec aliter commode res cogitatur, nisi mortuorum gratia baptizatos horum vices sustinuisse. Ceterum ita Paulus pro ratione ejus loci non fit haereticus.). Col. 1, 7. (siquidem recte, ut mihi videtur, cum Bengel. et Lachm. rescribitur *ὑπὲρ ἡμῶν*, cf. Steiger *Colosserbr.* p. 117). De Rom. 9, 3 cf. quae affert Tholuck, *Römerbr.* p. 357.

dem factum est ita, ut moreretur hominum loco. Pro conjuncta significatione et commodi et vicarii praeclare ab Apostolo adhibita est praepos. *ὑπέρ*. Itaque rectissime, ut solet, contendit Winerus noster, non licere nobis in gravibus locis, ubi de morte Christi agatur, praepos. *ὑπέρ* simpliciter = *ἀντί* sumere [1]). Est enim plane Latinorum *pro*, nostrum *für*. Quotiescunque Paulus Christum pro nobis esse mortuum docet, ab ipsa notione vicarii non disjunctam esse voluit notionem commodi, neque unquam ab hac, quamvis perquam aperta sit, excludi illam in ista formula, jure meo dico [2]).

Est illa frequentissima in Pauli epistolis, ac fere ubicunque is praedicat sive Dei gratiam sive Christi de hominibus meritum, id inprimis docet, Christum se devovisse morti pro nobis, pro ecclesia sua (cf. praeter loca ea, quae jam tractata sunt, Rom. 8, 32. Rom. 14, 15. Gal. 2, 20. Eph. 5, 25. [3])).

---

1) Cf. *Gramm. p.* 366 *fin.* Quod Fritzschius (*cf. epist. ad Rom.* p. 267.) notat, statuere Winerum, eam formulam non satis perspicue ab Apostolis informatam esse, id vereor ne non recte ex ejus verbis ipse effecerit.

2) Daehnius (cf. *Paulin. Lehrbegr. p.* 160.) sibi ipsi paullulum repugnat — ut mihi quidem videtur — in eo, quod concedit, mortem Christi tanquam vicariam doceri, ut 2 Cor. 5, 21. Gal. 3, 13. et alibi, ac simul addit, in locis multo pluribus, ubi dicatur Christus pro nobis mortuus esse, ne posse quidem mortis vicariae notionem teneri. At enim mors Christi salutaris, quae semel dicitur vicaria, eadem semper est intelligenda, ubi est *Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανεν*, nisi quod notio posterior modo minus, modo magis eminet.

3) Notat Meyerus (*Römerbr. p.* 111.), Paulum verba *ὑπὲρ ἡμῶν* non intelligi voluisse: vice nostra, sequi inde, quod *ὑπέρ* cum *περί*, nec vero uspiam cum *ἀντί* commutet. Id nihili esse, ex eo patet, quod formula *περὶ ἁμαρτιῶν*, quam ille citat Gal. 1, 4., huc non quadrat (quid, quod adeo Matthaei verba, quae etiam Meyerus affert ad probandum Pauli usum e Matth. 26, 28. *περὶ πολλῶν*, a Paulo 1 Cor. 11, 24 mutata sunt in *ὑπὲρ ὑμῶν*?); perinde enim scribitur: Chr. mortuus est *ὑπὲρ ἁμαρτ.* atque *περὶ ἁμαρτ.*, respectu, ut supra vidimus, sacrificiorum piacularium, quae Hebraei tanquam satisfactionem vicariam offerebant, tamen a LXX interpp. plerumque vocantur *περὶ ἁμαρτίας*. Illustrat eam rem 1 Petr. 3, 18. *Χρ. ἅπαξ περὶ ἁμαρτιῶν ἔπαθε, δίκαιος ὑπὲρ ἀδίκων*. Ex his adeo si quis commutationem praep.: *ὑπέρ* et *περί* tanquam idem declarantium concludere velit, eum nihil non temere conclusurum esse existimo. Denique accedit, quod 1 Tim. 2, 6. *ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων* mentem Pauli definitius, sed aliter ac Meyerus explicat.

Sed argumentum, quod pro vicaria Christi morte pugnet, petitum ab hac dicendi formula, contra ejusdem dogmatis adversarios debile fore arbitror, nisi adesset locus, ubi pro sententiae nexu majorem probandi auctoritatem nanciscitur. Est ille 2. Cor. 5, 14. sq., cui quem adjungere solent Rom. 5, 6. sqq., non aeque definitum esse puto. Quanquam enim ego non dubito, quin Paulus v. 7. ejus loci de vicaria pro alio obeunda morte, nec minus in toto loco de vicaria morte Christi cogitet, quae sententia eo quoque commendatur, quod v. 9. aperte habita est ratio sanguinis Christi expiantis; tamen quin sensus turbetur eo quidem versu, potest excludi vicarii notio [1]. Inest igitur hic eadem, quae vv. 6. et 8. significationum illarum praepositionis ὑπέρ arctissima conjunctio.

Sed progrediendum est ad interpretandum locum 2 Cor. 5, 14 sq., qui quantum probet in nostram rem, nuper quam maxime agnovit Dähnius (cf. *Paulin. Lehrbegr. p.* 161.). Pauli verba sic habent:

Εἰ εἷς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν, ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον. Καὶ ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν, ἵνα οἱ ζῶντες μηκέτι ἑαυτοῖς ζῶσιν, ἀλλὰ τῷ ὑπὲρ αὐτῶν ἀποθανόντι καὶ ἐγερθέντι.

Argumentationem: Si unus pro omnibus mortuus est, ii omnes mortui sunt, sic interpretor: Omnibus moriendum fuit; jam quum unus omnium loco mortuus sit, hi omnes et ipsi mortui censendi sunt; hi omnes debitum solverunt et tamen servant vitam, quam quidem illi uni acceptam referunt. Moriendum fuisse omnibus, quippe peccatoribus, id quidem ex hoc loco non apparet, sed satis superque constat ex tota Pauli doctrina. Sin velis vertere: si unus in commodum omnium mortuus est, non quadrant, quae inde concluduntur; tum potuit eos morte sua liberare a periculo, a malo quodam, minime necessario, ut in hac dicendi forma esse debet, ab ipsa morte. Itaque est h. l. ὑπέρ pro ἀντί, ac mors Christi tanquam vicaria procul dubio proponitur. — Adjuvat eam explicationem oppositio unius et

---

1) Rejicienda tamen est ea interpretatio, quam cum Rückerto probare videtur Usterius (*Paulin. Lehrbegr. p.* 120.) et Meyerus quoque probat: ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ esse vel esse posse hoc nexu neutr. adject.

omnium, εἷς ὑπὲρ πάντων [1]), quae ita de consilio atque cum vi facta est, nec vero ullam habet gravitatem, quando explicas, ut adamarunt recentiorum multi [2]): Si unus omnium gratia mortuus est, hi omnes sibi sensuumque suorum desideriis mori debent. — Adjuvat eandem, quod scriptum est: ἀπέθανον, perinde est ac si omnes *mortui essent.* Et profecto mortui sunt, quatenus non amplius legi peccatoque mortem debent, sive mortis poenam tanquam debitum solvere obligati sunt. Sin Paulus intelligi voluisset: mori sibi debent, non facile aorist. posuisset, et quamvis moneas: Ut jam mortui censendi sunt, tamen eo sensu moriendum demum est; certe non recte tum habet talis Apostoli conclusio. Loco Rom. 6, 11. quem conferunt, dicendi ratio longe alia est: λογίζεσθε ἑαυτοὺς νεκροὺς εἶναι τῇ ἁμαρτίᾳ. — Accedit, quod ἀπέθανον nude positum neque additum est ἑαυτοῖς vel simile aliquid [3]).

Atque probata ea, quam probavi ipse, explicatione, praeclare habent, quae subsequuntur: καὶ ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν, ἵνα οἱ ζῶντες μηκέτι ἑαυτοῖς ζῶσιν, ἀλλὰ τῷ etc. Ac pro omnibus mortuus est, ut viventes non amplius sibi viverent, sed Christo. ἑαυτοῖς ζῇν idem est, quod alias τῇ σαρκὶ, τῇ ἁμαρτίᾳ ζῇν, κατὰ σάρκα περιπατεῖν. Cf. etiam 1 Petr. 4, 2. εἰς τὸ μηκέτι ἀνθρώπων ἐπιθυμίαις, ἀλλὰ θελήματι θεοῦ βιῶσαι. Probe autem scimus, illud inprimis mortis Christi consilium fuisse, ut una cum lege poenaque peccati exstingueretur peccatum ipsum; ubi autem exstinctum est hoc, ibi regnat vita Christi in aeternum. Inde a Christi morte valet fides, a fide proficiscitur justitia ac vita. Itaque frustra nonnulli in his potissimum verbis grave sibi repetisse visi sunt argumentum reprobandi nostram v. 14. interpretationem. Imo vero eadem obsunt iis, qui ἀπέθανον de morte,

1) Cf. Joann. 11, 50. Συμφέρει ἡμῖν, ἵνα εἷς ἄνθρωπος ἀποθάνῃ ὑπὲρ τοῦ λαοῦ καὶ μὴ ὅλον τὸ ἔθνος ἀπόληται. Joann. 18, 14.

2) Inter hos singulariter de nosto loco scripsit Jo. Phil. Gabler: *Programmata IV*, *Jenae* 1805 — 7. Eadem denuo typis excussa in *opusc. academ. ed.* 1831. inde a pag. 424.

3) Gablerus notat (cf. *opusc. academ. p.* 437.): *Sciens prudensque Apostolus sententiam obscurius paulo expressisse videtur, ut grata aliqua negligentia majus orationi accederet decus, emergeretque quasi ex obscuritate sententiae novum orationis lumen.* Tale interpretationis subsidium habeat sibi, quicunque non habet aliud; ego non invideo.

quam vocant, morali intelligunt. Nam postquam Paulus cum tanta fiducia vel tanta potius certitudine elocutus est, cum Christo mortuo demortuos omnes sibimetipsis esse, languet, ut mihi quidem videtur, quod statim subjungit: propter Christi mortem non amplius sibi vivendum esse. Contra vero, postquam praecessit, cum Christo mortuo omnes mortis poenam luisse, et jam nihil valere legem istam, peccati adjutricem, nihil mortem; tum convenit maxime, quod addit: et ex hac quidem morte nova prodire debet vita, non nobis, τῷ παλαιῷ ἀνθρώπῳ, sed Christo consecranda.

Denique reliqua versus 15. verba: ἀλλὰ τῷ ὑπὲρ αὐτῶν ἀποθανόντι καὶ ἐγερθέντι, quae interpretationem nostram impeditura videntur, revera non impediunt. Quod enim jam Gablerus 1), qui, ut commemoravi supra, procul abest a nostra hujus loci explicandi ratione, vidit, formulam ὑπὲρ ἡμῶν ad ἀποθανεῖν solum posse adstringi, id bene vidit. Saepius Paulus arcte copulat Christi mortem ac resurrectionem. Quemadmodum enim mors Christi novae vitae, vitae ἐν πίστει ipsum erat fundamentum, ita resurrectio ejusdem confirmatio erat, quippe quae esset necessaria ad mortem Christi tanquam expiatoriam divinitus declarandam. Id addit hoc potissimum tam gravi loco, perinde ac si mors non satis per se staret atque auctoritatem haberet. Neque vero mutatur res, si conceditur, simul Paulum videri respexisse ad exemplum, quod ita Christus devicta morte ad imitandum suis proposuisset. — Praeterea ad sententiam nostram quadrant omnia, et quae antecedunt et quae sequuntur versus 14 et 15., atque maxime καινὴ κτίσις, εἴ τις ἐν Χριστῷ· τὰ ἀρχαῖα παρῆλθε, γέγονε καινὰ τὰ πάντα. Talia levia aut torquenda esse existimo, si Paulus nihil, nisi mortis Christi comparationem cum morte christianorum hominum morali proponit; quam quidem alibi locum habere posse, minime infitior. Inde autem, nisi fallor, orta est theologorum quorundam philosophantium opinio, mortem Chrisi nihil fuisse, nisi imaginem, propositam nobis, quam vita exprimamus. At hoc, ne dicam multis, quam sit indignum et Deo et Christo et Paulo, a nostro loco alienum esse, quis negat,

---

1) Cf. *Progr. pasch. ann.* 1805. *p.* 14. (*opusc. acad. p.* 441.) *Licet, inquit, omnino per linguae rationem formulam ὑπὲρ ἡμῶν ab illo ἐγερθέντι ita cohibere. Nec est, quod Sociniani ex arcta connexione verborum ἀποθανόντι καὶ ἐγερθέντι formulam ὑπὲρ ἡμῶν significare loco nostro plane non posse, tanquam certum exploratumque colligant.*

nisi, qui forte excellat interpretandi levitate ac securitate [1])? — Praeterea mirum quantum valent ad nostrum locum illustrandum nostramque ejus explicationem stabiliendam ea, quamvis et ipsa vario modo ab interpretibus enucleata, quae leguntur Gal. 2, 19 sqq. Ἐγὼ γὰρ διὰ νόμου νόμῳ ἀπέθανον, ἵνα θεῷ ζήσω etc. Ad quem locum vide Usterium, *Galaterbr.* p. 83 sqq. —

1) Verba Hasii (*Lehrbuch der evang. Dogmat.* p. 377 sq.): *Der Exeget wird überall nach seinem dogmatischen Systeme in Aussprüchen als: Matth. 20, 28. Jo. 1, 29. Rom. 5, 9. Col. 1, 14. Wirklichkeit oder Symbolik anerkennen mit gleichem exegetischen Rechte. — — Die Philosophie kann allein entscheiden, und sie entscheidet im christlichen Geiste etc.* quum primum legerem, paucis quantum possem redarguere animo constituebam. Id ipsum quum agebam, intellexi, esse ista ejusmodi, quae corruant sponte sua; alioquin enim nos male lusos esse ab Apostolis existimandum est, misereque falluntur quicunque verae interpretandi arti rite navant operam.

Probatur, dogma de vi mortis Christi satisfactoria optime convenire atque cohaerere cum tota Pauli christiana doctrina[1]*, refutatis simul quibusdam, quae videntur gravissimae, theologorum contra satisfactionem prolatis opinionibus.*

Totus est Paulus in praedicanda Dei gratia, per quam ipsam Christi in has terras ablegationem et totum ejus opus salutare factum esse contendit. Hoc, neque quicquam nisi hoc, si tenemus, non possumus non mirari, quod Apostolus docuerit simul, Christo cruentam pro peccatis nostris mortem subeunte opus fuisse, ut numen benignissimum hominibus peccata condonaret. Sed in Deo perfectissimo, qualis esse debet, conjuncta est cum summa benignitate sanctitas summa et justitia, atque ita fit, ut, quemadmodum virtutem hominesque virtuti studentes diligit bonisque auget, ita peccatum, quique eo polluti sunt, homines aversetur poenisque afficiat. Hoc idem noster docet Apostolus. Atque dederat Deus hominibus, propositis et praemiis et poenis, legem sanctam, cujus ope ad virtutem pervenire possent. Nihilo tamen secius Judaei pariter atque gentiles, et ipsi voluntatis divinae minime ignari, peccaverant poenisque divinis facti erant obnoxii, ipsorum adeo conscientia judice. Jam vero, ut ne Deus legi illi, quam dederat, sibique igitur ipsi repugnaret: Christus, quem beandi humani generis causa in has terras misit, hominum poenas ex lege debitas expiavit morte sua. Ita homines, quamvis graviter admoniti de peccati foeditate deque Dei sanctitate ac severitate, tamen simul certi sunt facti de eximia ejusdem Dei benignitate atque clementia. Eos, qui sic statuunt, non intelligo, cur tantopere accusentur indignae de Deo opinionis, humanae potius, quam divinae agendi rationi consentaneae. Quaecunque de summi numinis natura atque potestate scire nobis videmur, qua tandem lege alia, nisi humana, hominibus judicare licet? Unde autem nobis est jus benignitate summa posita negandi summam justitiam? Siquidem

1) Loca plurima eam probantia vide supra pag. 7 sq.

bonum malo superius est ac praestantius, Deus omnibus numeris absolutus non potest non esse optimus. Optimus idem est sanctissimus; qui autem sanctum se exhibebit hominibus, nisi justum? — At vero, nonne Deus justissimus idem fit injustissimus imponendo peccatorum nostrorum poenas Christo innocentissimo? Ita videri potest, sed non est. Neque tamen ego, in quo multi longique fuerunt alii [1]), id denuo enucleaturus sum, mortem fuisse illam quidem peccati poenam ab hominibus exigendam, nec vero tanquam poenam a Christo toleratam esse, nisi quod sibi fuerit conscius, eandem hominibus peccatorum poenam esse. Aliter neque Paulus sensit, neque sentit facile quispiam. Tenendum est autem, Christum sua sponte mortem oppetiisse, eximio erga patrem et erga homines amore ductum, unde retulerit ipse praemia splendidissima. An vero non id ipsum calamitatis maximae summa merces fuit, quod se humani generis servatorem, communis felicitatis auctorem sciret? Non facile invenias cordatum hominem, pro salute patriae vel pro qualicunque magna re periculis adeoque morti se devoventem, quin pro conscientia magni sui facinoris quodvis malum laete subeat bonoque par ducat: jam vero Christus, tantorum beneficiorum morte sua factus auctor, ne injusta passus sit, veremur? Sinit Deus Codros exsistere, Decios, Winkelriedios, e quorum morte fructus repetebat superstitio; num Paulus contra in judicium vocandus est, quod docet, pro sancto Dei consilio beandi generis humani Christum mortuum esse, expiantem hominum peccata?

Verum isti, qui tantopere clamant, justitiam Dei violatam esse in dogmate de satisfactione vicaria: secumne reputant, tum aeque injustum fore Deum, proponendi symboli causa vel rei causa cujusvis passum cruentam Christi mortem? Etenim errant summo illi opere, qui satisfactionem mortis Christi falsa informatione honoris divini tanquam fundamento niti opinantur. Quid, quod adeo ii, qui de infinita Dei offensione cogitant, simul censent, Deum ipsum sibi honorem esse incorruptibilem et nullo modo mutabilem, ut potestatem et dignitatem ejus homo nullatenus laedat et decoloret; itaque non Dei, sed hominum causa honori divino satisfaciendum fuisse existimant. Sed mittamus hos. Nititur dogma,

---

1) Inprimis conferatur Klaiberus: *Studien der Würtemb. Geistl. Bd. 8. H. 1.*

quod exposui, vere Paulinum notione numinis et benignissimi et justissimi; ordinem rerum, quem Deus constituit, leges, quas ipse sancivit, quas in ipsis hominum animis voluit esse insculptas, non laedit, non tollit temere, ubi se vel clementissimum praebet. Atque ad id attendamus animum, quod ita non punit Deus, ut puniat, ut satisfaciat irae cuidam suae crudeli, quam videlicet finxit ipsa sibi dogmatis accusandi cupido, sed ad virtutem sanctitatemque peccatores, perverso vitae genere sopitos excitaturus ac perducturus.

Rursus vero Deum injustitiae accusant, quod ita hominibus improbis condonet peccata propter solum Christi meritum, atque Paulum arguunt inconstantiae, quod alias christianis severum probitatis studium etiam atque etiam commendet. Quae utraque quam egregie ipsa sese tollunt! Scilicet erratum est in eo, quod πίστιν, quam Paulus a christianis postulat, pro re vana haberent, pro temeraria confidentia in sanguine Christi posita, et quae similia sunt. At vero ἡ πίστις Ἰησοῦ Χριστοῦ est illa quidem persuasio certa de divinitate Christi, est fiducia, posita in salutari morte Christi, in gratia Dei per eam nobis patefacta; sed fides, quam Paulus exigit, esse ne potest quidem, quin totam hominis mentem ad Christi mentem conformet [1]. In eo vel maxime apparet admirabilis, qua Paulus insignis erat, animi sublimitas, quod fidem Christo habitam sejunctam esse non posse a pietate, a vita ad Christi exemplum composita, ponit ac docet. Nimirum fides Paulo est, quod Joanni est caritas. Quaeris, quo id modo evenerit et quo id fiat jure? Non incubuerat ille pectori domini; sed persuasissimum habuit, Jesum esse Christum, cujus divina vi atque auctoritate se tactum sensit ac destinatum muneri apostolico. Quid ipse fuit Paulus, nisi crederet? Nisi confideret, se non homini humanaeve doctrinae, sed rebus coelestibus, sed divino salutis hominum aeternae auctori vires suas vitamque consecrare? Hoc autem quandoquidem verum certumque habuit, toto animo Christum salutemque christianam amplexus est, nihil non facturus aut passurus Christi hominumque causa, impertiendorum laeto de salute aeterna nuntio. Et quicunque credit, Christum

1) Cf. Neander: *Gesch. der Pflanzung und Leit. der chr. K. etc. Bd. II. p.* 554. Dähne: *Paulin. Lehrbegr. p.* 86 *sq.* Winer: *epist. ad Gal. p.* 145 *sq.* Knapp: *Scripta var. arg. II, p.* 413 *sqq.*

esse eum, quem se ipse professus est, nec eundem diligit ac sincera pietate per omnia vitae discrimina sequitur: mendax est pariter atque is, qui suum erga Deum amorem jactat et fratrem odio habet; repugnat sibimetipsi, quum quam agnoscit veritatem, fugiat, quam scit salutem, spernat. — Quae si, ut mihi videor, simpliciter quidem, sed recte ex Pauli mente disputo, apparet: fide tanquam conditione proposita salutis per Christi mortem consequendae nec Paulum pugnantia praecipere, nec Dei clementiam in condonandis propter meritum Christi peccatis nostris vindicandam demum esse a crimine injustitiae.

Porro autem mirum visum est, quod Paulus, qui Judaeis, utpote literam, non spiritum, ritus, non animos curantibus, acerrime adversatur, qui circumcisionem cordis, neque amplius carnis postulat, qui Deum sola animi vitaeque integritate coli jubet, tantam tribuerit potestatem piaculari Christi sacrificio, pleno illi superstitione Judaica. Simulque ad Christum et ipsum provocant, improbantem sacrificiorum usum seu potius abusum (cf. Joann. 4, 23 sq. Marc. 12, 33.). His qui impugnant doctrinam Pauli, impugnent potius Pontificiorum doctrinam, atque ut illud faciunt temere, ita hoc suo jure facient. At vero expositum jam est (cf. pag. 29.), quantum distaret expiatio Christi ab expiationibus apud Judaeos fieri solitis, ita ut, si rem vere dicas, ab his fere nihil nisi nomen mutuata esse videretur. Si enim per istas partim animorum sollicitudo atque terror alebatur, partim morum fovebatur pravitas: ita per hanc fiducia in Dei gratia posita, ac vera pietas suscitata est et adjuta. Neque mors Christi expiatoria fuit ritus, neque ritus sacrificalis, qualem denuo peperit ingeniorum ab evangelio aberratio, inde aut derivari recte aut auctoritatem ullam repetere potest, quum potius hoc illius fuerit consilium atque vis, ut jam in sempiternum instituta lustralia et gentilium et Judaeorum abolerentur.

Deinde iterum Paulum sibi repugnare opinantur, quod modo resurrectionem Christi morte graviorem atque ipsam nostrae salutis causam esse statuat, modo intercessioni ejus apud patrem majus adscribat pondus, quam quod patiatur integritas dogmatis de satisfactione vicaria. At hanc intercessionem, quam adeo Sociniani expiationis nomine insigniunt et adhibent tanquam temperamentum doctrinae suae, orbatae satisfactionis dogmate, Paulus uno loco ep. ad Rom. 8, 34. commemorat, atque ita quidem, ut non

accuratius definiat, totius autem loci ratio admodum rhetorica videatur. Neque tamen magnopere contra eandem pugnandum est, quum revera nihil inde detrimenti capiat id, de quo agitur, dogma. Nonne enim ii, quos Christus redemit sibi, in perpetua ejus communione ac patrocinio versari recte dicuntur? An vero homines, quibus contigit salus Christi, desinunt esse homines aut desinere a Paulo praedicantur? Neque potius divino auxilio, ad quod et ipsa fides refertur, numquam non egere ab eo ipso censentur? Fluxit scilicet ea objectio ex falsa, quae admodum frequens est, satisfactionis informatione. — Quae autem de momento resurrectionis Christi in nostram rem dicenda sunt, ea fere omnia jam dicta sunt in disputationis decursu; cf. p. 8. p. 27. p. 42. (Cf. etiam Knappius: *Scripta var.* I. pag. 306. atque idem: *Vorlesungen über die christl. Glaubensl. II, pag.* 269.). Hoc unum moneo: Quod resurrectio tanquam imago proponitur novae a nobis, addictis Christo, instituendae vitae, id eam, quam volunt, eximiam vim non habet, si nihil est, nisi imago; eandem vero habet in Paulinarum sententiarum nexu, ita quidem, ut morte Christi satisfactoria omnis pristinae vitae institutio antiquata appareat, jamque nos, abdicati illa liberatique morte cum eadem conjuncta, non possimus non inire novam Christi vitam in aeternum duraturam, quam et ipse nobis non promisit modo, sed etiam praeivit Christus.

Tum vero objiciunt, in dogmate nostro mortem Christi falso appellari vicariam, cum Christus naturalem mortem ab hominibus non removerit [1]), spiritualem vero, quam dicunt, ipse perferre ne potuerit quidem. Quod recte monetur, siquidem dogma de vicaria Christi morte seorsum a Pauli doctrina spectatur; id vero quam inconsulte fit! Mors, ut hoc etiam atque etiam repetatur, Paulo est poena peccati, id quod evidentissime jam ex solo capite V epist. ad Rom. apparet [2]). Ibi Apostolus non dicit certe, ipsam hominis naturam mutatam esse primo Adami peccato, ita ut Adamus ex immortali factus sit mortalis, ut, si non peccasset, nec

---

1) Egregie, opinor, Schraderus notat (*Der Apost. Paulus, III, pag.* 66.): *Es ist nichts als die frechste Lüge, dass der Tod eines Heiligen die Unheiligen vor der wohlverdienten Todesstrafe bewahre, da täglich der Tod unzählige Opfer verlangt.*

2) De eo cf. Luecke: *Theolog. Annal:* v. Schwarz. 1825. S. 360. Apud Usterium: *Paul. Lehrbegr. pag.* 379 sqq.

mortuus esset; sed docet, ex primo isto peccato mortem tanquam peccati poenam ortam esse [1]), ab Adamo inde ortam esse necessitudinem peccatum inter atque mortem.

Hanc autem mortem qui de universa peccandi miseria, de tristi statu hominum a Deo aversorum intelligere malunt, quam de morte, quae ex naturae lege hominibus accidit: ii parum reputare videntur, Hebraeos in vitae contemplatione arctissimo vinculo conjunxisse res, quae ad corpus et quae ad animum pertinerent, ita ut illas simul ad hunc referrent. Quod, ut unum commemorem, permagna illa de munditie cura atque severitas testatur. Deinde vero ab ipso Paulo diserte refutantur. Neque enim tantum 1. Cor. 15, 21 sq., ubi est: δι᾽ ἀνθρώπου ὁ θάνατος καὶ δι᾽ ἀνθρώπου ἀνάστασις νεκρῶν, et ubi, quemadmodum Rom. 5, 12 sqq., Adamus et Christus sibi opponuntur invicem, sed etiam eo ipso capite ep. ad Rom. de naturali, quam vocant, morte intelligere cogimur ea, quae leguntur versu 14. ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωϋσέως etc. Denique accedit, quod aperte Paulus respicit ad caput III. Geneseos. Tamen ista miseria animi a Deo aversi, quae Joanni plerumque est θάνατος, neque a Paulo excluditur plane. Ista enim poena mortis, quae tanquam aeterna cogitabatur, conscientiam peccati et abalienationis a Deo magnopere aluit et sustinuit, atque ita sibi relicti et mortui jam erant, antequam de hac vita decederent et in sempiternum morerentur. Ita apparet, istam mortem, peccati poenam, simul habitam esse hujus miseriae causam, atque inde non mirum est, quod Paulus illam tanti momenti facit.

Jam vero Christus revera vicariam oppetiit mortem, quum peccati expers, itaque etiam poenae immunis moreretur; nos vero liberaret a morte, quatenus jam mors naturalis non amplius habenda esset poena peccati, nec tanquam aeterna timenda amplius. Optime Paulum Paulus ipse explicat 1 Cor. 15, 55. Ποῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον; ποῦ σου, ᾅδη, τὸ νῖκος; Τὸ δὲ κέντρον τοῦ θανάτου ἡ ἁμαρτία· ἡ δὲ δύναμις τῆς ἁμαρτίας ὁ νόμος. Christus, homo factus, poenalem mortis miseriam nostro loco suscepit eatenus, quatenus utpote Christus suscipere poterat.

---

1) Cf. Neander: *Gesch. der Pflanzung etc. II, p. 520. Es kann die Veränderung nur auf die besondere Form des Todes und auf die Art, in welcher die Nothwendigkeit des Todes in das Bewusstsein aufgenommen wird, sich beziehen*

Si qui autem homines arguti cum Aepino isto [1]) ingeniosa quadam subtilitate Apostolum ejusque argumentationem complere et complendo stabilire student, sive potius argutiis talibus vehementer impugnant, eos adnumerem ridiculo cuidam Gigantum generi, qui coelum ipsum suis armis petere dicuntur.

Praeterea, quod jam supra pag. 26. monui contra eos, qui mortem Christi dici vicariam vetant, quum non plane fuerit eadem atque nostra: non obliviscendum est, quod Paulus eam ita appellat ad similitudinem victimarum piacularium, per quas ex Hebraeorum opinione Deo fiebat satisfactio.

Addam huc pauca de comparatione Christi cum Adamo. Multum enim odii doctrinae de mortis Christi vi satisfactoria conflatum est inde, quod tanquam unico fundamento niti putabatur doctrina de culpa originis. Ac verum est, ab iis, quibus emendatior nostra sacrorum ratio debetur, utramque connexam esse arctissime. Tamen videant, ne in errore versentur, qui una cum culpa originis tollendam existimant satisfactionem Christi. Ita scilicet existimant, nixi potissimum comparatione Christi et Adami, proposita illa cap. V epist. ad Rom., inde a versu 12. Atvero recte habet ea comparatio, etiamsi negatur inesse in Pauli verbis imputatio peccati Adamitici; quod inter recentiores interpretes optime demonstravit Meyerus [2]). Ad haec potissimum omnis Adami et Christi similitudo, a Paulo proposita, revocari potest: Quemadmodum per Adamum ad homines pervenit mors, et quidem immerita, ita ad eosdem per Christum pervenit immerita vita. Istius causa fuit peccatum Adami, hujus justitia Christi [3]);

1) Cf. Planck's *Gesch. des protest. Lehrb. V*, *p.* 252 *sqq.* Contendit ille, Christum (et quidem Christi animam tantum) ad inferna descendisse, ut, munus suum sustinendi vices nostras in subeunda morte absoluturus, ibi etiam lueret eas, quae nos alioquin mansurae fuissent, infernales poenas.

2) Conferatur ille inprimis de versu 14. (*Römerbr. pag.* 121.): *Denn* (P. causam affert, cur contra Judaeorum opinionem dixerit: mortuos esse omnes, quoniam peccassent omnes) *bis zum Gesetze war Sünde in der Welt; Sünde aber, ist sie beim Nichtvorhandensein des Gesetzes von Zurechnung frei? Nein, es herrschte ja der Tod von Adam bis Mose auch über diejenigen etc.* Huic explicationi obstare nihil videtur aliud, nisi tot saeculorum auctoritas.

3) *ἓν δικαίωμα*, oppositum isti uni peccato Adami, nullo adhibito artificio de Christi morte intelligenda est; ea autem nititur totius vitae Christi justitia et sanctitate. Nimirum mors ejus id quod revera fuit, esse ne potuit quidem, nisi fuit mors justi, mors ejus, qui ab omni peccato liber erat.

ab illo inde peccatum regnavit inter homines, ab hoc inde justitia vel potius gratia. Tum Adami, tum Christi communionem inierunt homines; sed debebat iis pariter cum Adamo, a quo acciperent mortis poenam, intercedere vinculum, idque ipsum erat peccatum, atque cum Christo, a quo acciperent aeternam vitam, atque hoc nostra erat justitia, quae quidem non est justitia, nisi per gratiam Dei propter Christum; scilicet τῷ πιστεύοντι ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ λογίζεται ἡ πίστις αὐτοῦ εἰς δικαιοσύνην, Rom. 4, 5. Itaque Paulus, indicans, quae in comparatione non accurate sibi respondeant, de consilio dicit in ipso capitis fine: ἵνα ὥσπερ ἐβασίλευσεν ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θανάτῳ, οὕτω καὶ ἡ χάρις βασιλεύσῃ διὰ δικαιοσύνης εἰς ζωὴν αἰώνιον, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ κυρίου ἡμῶν. Omnino haud negligendum est, quod per totam hanc comparationem magis exponit de morte atque vita, quam de peccato et justitia. Ita etiam ultimo cap. versu dicit: ἐν τῷ θανάτῳ peccarunt omnes; mors non amplius dependebat ab hominibus, sed communis omnibus erat facta per Adami peccatum, cujus quum exsisteret poena, peccati poena in universum facta est.

Jamvero cum his bene convenire dogma Pauli de vi satisfactoria mortis Christi, id aeque apparet atque hoc, negata doctrina de culpa originis stare illam.

Sed disputandum breviter est de καταλλαγῇ, quae, quum partem salutis per Christi mortem hominibus partae praecipuam contineat, tamen vero a multis interpretibus explicetur tanquam reconciliatio hominum cum Deo, ita ut nonnisi homines fuerint abalienati a Deo, nec pariter ipse Deus ab hominibus, adversari putatur satisfactioni vicariae. Solverunt ita quidem sententiarum Paulinarum, quae visa est, repugnantiam, ut dicerent, ἱλασμόν esse causam, cur homines et possint et debeant καταλλαγῆναι τῷ θεῷ; per expiationem, a Christo factam, a Deo acceptam, homines adduci eo, ut jam omnem erga Deum inimicitiam deponant. Idque fit probabiliter. Atvero qui ex natura et usu verbi καταλλάσσειν certum, quem apud Paulum ὁ λόγος τῆς καταλλαγῆς obtineret, sensum eruere nisi sunt, frustra nisi sunt. Neque Tittmannus (cf. *De Synonym. N. T. I, pag.* 103 *sqq.*) probavit, quod voluit, καταλλάσσειν non ut διαλλάσσειν ad mutuam

referri inimicitiam, sed esse: efficere, ut alter animum inimicum deponat; neque magis ipsa vox contrarium jubet intelligi; id quod comparata multitudine locorum, quos citant Tittmannus l. l., Tholuccius (*Bergpredigt pag.* 192 *sqq.*) Bährius (*Colosserbr. ad* 1, 20.), Fritzschius (*ep. ad Rom. pag.* 276.) sine dubio apparet. Itaque Paulus ipse sui interpres sit, necesse est.

Quod 1 Cor. 7, 11. legitur, nullam probandi vim habet, quoniam idem verbum pro communi loquendi usu h. l. de deponenda inimicitia unius (uxoris erga maritum) adhibere potuit, aliter alibi. Sed spectandi sunt ii ipsi loci, qui ad nostram rem pertinent: Rom. 5, 10 sq. 2 Cor. 5, 18. 19, 20. Eph. 2, 16. Col. 1, 20. Hi in eo conveniunt, quod reconciliationem tanquam a Deo profectam et nixam cruenta morte Christi proponunt. Sublata per eandem dicitur ἡ ἔχθρα. Quaeritur, an haec Dei simul atque hominum fuerit. Homines fuisse inimicos Dei, quatenus a Deo aversi viverent peccatorumque suorum poenas divinas metuerent: ut inest in nexu totius doctrinae Paulinae, ita testatur adhortatio illa Apostolica: καταλλάγητε τῷ θεῷ, 2 Cor. 5, 20 [1]). Deus autem hominum inimicus vocari potuit, quatenus cum peccato peccatores et ipsos aversabatur, eosque poenis obnoxios esse constituerat. Nec aliter commode ἡ ὀργή θεοῦ (de qua vide supra pag. 37.) explicari potest. Quod quidem non detrahit de numinis perfectissimi notione et auctoritate; sed hoc tanquam necessarium continetur in ipsa ratione, qua Deus sanctissimus se habet ad homines peccatores: non potest non eos aversari, et tamen sanctos reddere et ad se reducere cupit. At, opposuerit aliquis, ipse Deus ὁ καταλλάσσων dicitur, 2 Cor. 5, 19 [2]). Nec vero non totius operis salutaris per Christum perfecti princeps auctor dicitur; quod satis concipere cum ea, quam exposui, satisfactione, jam vidimus. Tamen profecto non eadem plane ratio

---

1) Hunc imperativum artificiosius, quam verius explicat Usterius (*Paulin. Lehrbegr. p.* 122 sq.): *Der Imperativ ist gar nicht an die Leser des Briefes, die in der That als Christen schon καταλλαγέντες sein sollen, gerichtet; sondern es ist blosse Inhaltsangabe der apost. Verkündigung, von der eigentlich die Rede ist.* Contra eum disputat Dähnius: *Paul. Lehrbegr. p.* 155.

2) Promtus iterum adest Bährius (*Colosserbr.* 1, 20.) ad refutandam satisfactionem vicariam inde, quod Deus ipse dicatur efficere reconciliationem. Talia dici non possunt, nisi parum perspecto Paulino dogmate ac neglecto Paulinarum sententiarum nexu.

potest esse τῆς ἀπολυτρώσεως atque τῆς καταλλαγῆς; haec enim ubique illam jam ponit, in eaque radicem suam atque fundamentum habet.

Ita 2 Cor. 5, 19. θεὸς ἦν ἐν Χρ. κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ, μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τ. παραπτώματα αὐτῶν. Hoc posterius Dei erat; fecit, ut reconciliari cum ipso possent aversi hominum animi.

Eph. 2, 16. ἵνα ἀποκαταλλάξῃ τοὺς ἀμφοτέρους ἐν ἑνὶ σώματι τῷ θεῷ διὰ τοῦ σταυροῦ, ἀποκτείνας τὴν ἔχθραν ἐν αὐτῷ.

Col. 1, 20. εὐδόκησε δι' αὐτοῦ ἀποκαταλλάξαι τὰ πάντα εἰς αὐτὸν, εἰρηνοποιήσας διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ. Utraque appositio illustratur Col. 2, 14. ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον etc.

Etiam Rom. 5, 10. illud καταλλαγέντες τῷ θεῷ non idem plane est atque, quod praecessit, δικαιωθέντες. Sed ponit Paulus secundo loco, homines oblatam Dei gratiam revera recepisse, in gratiam cum eo rediisse.

Itaque in hunc modum statuendum puto: ἡ καταλλαγή Paulo est reconciliatio hominum cum Deo, quatenus deposuerunt poenarum metum, tristem peccatoris conscientiam atque inde ad Dei amorem se converterunt; ea autem non potuit habere locum, nisi homines haberent persuasissimum, Deum jam ipsos sua gratia impertiri, aversa ea, quae ante fuerat, ὀργῇ θεοῦ. Tum profecto apostolici nuntii principium poterat esse atque summa: καταλλάγητε τῷ θεῷ, atque dulce quoddam ac grave ad pietatem in se continet incitamentum; Deus enim, inquit, vobis non succenset, paterna ejus caritas ad vos pertinet; itaque vos deponite metum omnem atque inimicitiam, patri este filii! —

Ex his sequitur, dogma nostrum de satisfactoria mortis Christi vi non modo non reprobari τῷ λόγῳ τῆς καταλλαγῆς, sed etiam confirmari.

Denique vero, si quis in perlegendis Pauli epistolis id videt, quod non potest non videre: arcem evangelii esse salutarem Christi mortem; hanc, neque ortum neque doctrinam ejus abolitionem esse Antiqui, sanctionem Novi Foederis; baptizari non in doctrinam, sed in mortem Christi; hancce esse causam ac fundamentum novae vitae instituendae, peccatorum remissorum, salutis futurae

consequendae: tum, nisi forte philosophi cujusdam, quam suis oculis uti mavult, tum profecto intelliget, non symbolum aliquod arte rhetorica propositum, non exemplum imitatione dignum, non Socraticum doctrinae testimonium sive martyrium mortem Christi Paulo esse habitam. Sed majus, sed gravius aliquid ac praestantius debebat esse, quod dubito an quicquam fuerit aliud, quam Christi mors expiatoria, satisfactoria, ea scilicet, quam ex Apostoli mente ac doctrina nunc ipsum exposuisse mihi videor, vindicata ab iis, quas variis ingeniorum erroribus debet, vanis amplificationibus atque explicationibus.

Quaeritur, quoad ea in re cum Paulo consentiant et Christus ipse et reliqui Apostoli.

Dogma de vi mortis Christi satisfactoria Paulinae doctrinae proprium esse vulgo dicunt. Tamen vero tantum abest, ut Pauli ingenio debeatur neque cognatione ulla cum universa religionis nostrae doctrina cohaereat, ut etiam ab ipso Christo primam originem duxerit et in reliquorum Apostolorum scriptis habeat, quo nitatur atque confirmetur. Afferuntur quidem ex evangeliis loci, qui probent, Christum ipsum a dogmate eo, quod peccatorum remissionem ab ejus morte, tanquam expiatoria, repetat, fuisse alienissimum. At frustra esse videntur omnes, neque, ut Usterius putat (*Paul. Lehrbegr. p.* 186.), Mtth. 6, 12—15. Luc. 15, 20—24. Joann. 20, 23. dogmati nostro revera obstant. Apud Matth. ab animo placabili remissio peccatorum eatenus potest repeti, quatenus tali animo esse debent ii, qui sperant, se impetraturos esse veniam Dei. Possunt enimvero etiam improbi ac scelerati homines libenter sibi invicem ignoscere. L. l. Lucae Christus dicit, homini poenitenti atque emendato dari veniam, sed non ut promeritam; fit hoc potius gratia. Contra quod non pugnat, fiduciam in Dei gratia repositam per Christi mortem partam esse hominibus, quippe qui nunquam vere emendati essent ac perpetua peccatorum conscientia a Deo aversi tenerentur. Denique apud Joann: jus, quod Christus concedit Apostolis, peccata remittendi, referendum est ad receptionem in societatem christianorum et salutis per Christum partae fideque assequendae; id quod bene convenit Christo, qui in vitam reversus suis tradit munus apostolicum [1]). Cf. etiam Luc. 24, 47.

---

1) Non video, quo jure Bretschneiderus (*cf. Handb. d. Dogmatik II. p.* 275. 278.) tanti momenti faciat hoc, quod his similibusque locis non de peccato originis sermo sit; tum vero parum probabiliter Joann. 20, 23. explicat de medendis hominum morbis. Haec gravissimo momento dicta non concinunt: Accipite Spiritum sanctum! Sanate, quos vultis, hominum morbos! —

Ipse autem Christus mortem suam necessariam et divinitus constitutam esse testatur: Mtth. 20, 18 sq. 26, 21 sqq. Luc. 18, 31 sq. 9, 22. al., atque fundamentum dogmatis de satisfactione vicaria jecit nobili illo dicto: *ὁ υἱὸς ἀνθρώπου ἦλθε δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν*, Mtth. 20, 28. Marc. 10, 45. Indicat praeterea similitudinem sive comparationem mortis suae cum sacrificio piaculari in instituenda coena sacra: Mtth. 26, 28. Luc. 22, 19 sq. *τὸ αἷμά μου, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν*[1]). — Pariter atque magis etiam in Joannis evangelio mortem suam Christus tanquam salutiferam, expiatoriam, vicariam proponit locis his: 10, 11 sqq., ubi dicit, se tanquam bonum pastorem mortem oppetere pro ovibus; — 3, 14 sqq., ubi suae morti eandem tribuit servandi vim atque serpenti a Mose erecto illi; — 6, 51—55., ubi ait se traditurum esse morti carnem suam, tanquam panem coelestem, pro vita mundi.

His omnibus probatur, Christo et ipsi persuasum fuisse de magna gravitate, quam in toto suo opere salutari obtineret ipsius mors; neque vero mirum videtur, quod non saepius de eadem locutus est. Postquam enim mortuus fuit, tum demum discipuli senserunt atque intellexerunt, et quanti momenti Christi mors facienda esset, et quanti ab eo ipso esset facta, de qua raro quidem, sed eximia cum gravitate locutus fuerat. Accedit, quod, ad vivos reversus, illos de eadem re instituisse perhibetur Luc. 24, 44 sqq.

Deinde vero in Joannis et Petri epistolis totius dogmatis vestigia haud dubia reperiuntur, eorumque auctoritas profecto accedit ad Paulum. Et Joannes quidem in ipso evang. 11, 50 sqq. dicto Caiphae: unum mori pro populo, esse praestantius, quam hunc totum perire, propheticam vim vindicat et explicat de morte Christi vicaria. Docet, Christi expiationem summum fuisse consilium, quo Deus in has terras miserit filium suum: I, 4, 10. *αὐτὸς ἠγάπησεν ἡμᾶς καὶ ἀπέστειλε τ. υἱὸν αὐτοῦ ἱλασμὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν.* Quocum cf. ejusd. epist. 3, 5. *ἐκεῖνος*

---

1) His verbis aperte vim facit Usterius (*Paul. Lehrb.* p. 137.) *die in seinem Tode sich offenbarende unendliche Liebe wird die Wirkung hervorbringen, dass gar Viele in sich gehen und in der Umwandlung ihres Herzens die Versicherung der Vergebung der Sünden empfangen werden.*

ἐφανερώθη, ἵνα τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἄρῃ. Comparatur Christi mors cum sacrificio, quod nos liberaverit a peccati poenis et a peccato ipso: I, 2, 2. ἱλασμός ἐστι περὶ ἁμαρτ. ἡμῶν. I, 1, 7. τὸ αἷμα Ἰ. Χρ. καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἀνομίας. Atque idem fit apud Petrum [1]). I, 1, 2. ῥαντισμὸς αἵματος Ἰ. Χρ. (de quo loco v. Steigerus: *I Petr.*) I, 1, 18 sq. ἐλυτρώθητε ἐκ τῆς ματαίας ὑμῶν ἀναστροφῆς τιμίῳ αἵματι ὡς ἀμνοῦ ἀμώμου καὶ ἀσπίλου Ἰ. Χρ. (de quo v. supra pag. 35.) I, 2, 24. τὰς ἁμαρτ. ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον. Vicariae mortis notio eminet 1 Petr. 3, 18. Χρ. ἅπαξ περὶ ἁμαρτιῶν ἔπαθε, δίκαιος ὑπὲρ ἀδίκων [2]), (uti 1 Petr. 2, 24. ἡμῶν αὐτός; 1 Joann. 3, 16. ἐκεῖνος ὑπὲρ ἡμῶν.) [3]). —

Porro auctor Apocalypseos pro ratione atque consilio sui libelli sacrificali Christi morte tantopere usus est, ut ipsum Christum constanter fere appellaret τὸ ἀρνίον, alludens ad sacrificium; 5, 6 eum vocat ἀρνίον ἑστηκὸς ὡς ἐσφαγμένον; Christiani dicuntur Deo et Christo redemti esse per sanguinem agni: 5, 9. 14, 5. Christus est ὁ λούσας ἡμᾶς ἀπὸ τ. ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἐν τ. αἵματι αὐτοῦ: 1, 5.

Restat epistola ad Hebraeos data, cujus quidem in re nostra comprobanda auctoritas non perit eo, quod tota repleta est imaginibus Judaicis, et Christus non tantum pontifex atque victima, sed etiam aulaeum (10, 20.) atque ara (13, 10.) vocatur. Quum enim epistolae auctor id consilii habeat, ut demonstret, omnia Judaeorum instituta, inter quae maxime eminebant sacrificia, typos fuisse rei christianae, jamque per hanc esse abolita, quae, quod ista frustra consequi studuissent, vere consecuta sit: nul-

---

1) Ex his, quae afferentur, judicandum est, quam recte Röhrius putet, Petrum (II, 3, 15) inique statuisse de Paulo propter ejus dogma de morte Christi; cf. *Grund- u. Glaubens. etc.* 1834. *p.* 179 *sqq.*

2) Notat Steigerus ad h. l. *Die scharfe Gegenüberstellung des δίκ. u. ἀδικ. lässt keinen, der Sprachsinn hat, einen Augenblick zweifeln, dass durch ὑπέρ ein Personenwechsel ausgedrückt wird.*

3) Similiter Clem. Rom. ep. 1. § 49. τὸ αἷμα αὐτοῦ ἔδωκεν ὑπὲρ ἡμῶν Χρ. καὶ τὴν σάρκα ὑπὲρ τῆς σαρκὸς ἡμῶν καὶ τ. ψυχὴν ὑπὲρ τ. ψυχῶν ἡμῶν. Test. duod. Patriarch. (Fabric. *Cod. Pseud. I. p.* 750.) ἄμωμος ὑπὲρ ἀνόμων — καὶ ἀναμάρτητος ὑπὲρ ἀσεβῶν. Ep. ad Diognet. αὐτὸς τ. ἴδιον υἱὸν ἀπέδοτο λύτρον ὑπὲρ τῶν κακῶν, τὸν δίκαιον ὑπὲρ τῶν ἀδίκων, τὸν ἄφθαρτον ὑπὲρ τῶν θνητῶν.

lam imaginum omnium ad Christum transfert, quin ex iisdem potissima verae notionis emergat vis, ac pro argumenti gravitate imaginibus non temere ludit, sed sapienter utitur ad illustrandam veritatem. Ut autem complectar breviter summam eorum, quae huc pertinent, hoc docet: Christum Novi Foederis auctorem et summum exstitisse pontificem, qui ad veniam peccatorum sub Antiquo Foedere commissorum impetrandam et adeo ad redimendam totius generis humani salutem corpus suum velut piacularem victimam unicam et in aeternum valituram obtulerit, nostrique apud Deum mediatoris munere fungatur in perpetuum. Attamen simul docet, salutem per Christi mortem paratam non contingere nisi iis, qui veram haberent fidem, quae quidem ei, deflectenti paullulum a notione Pauli, potissimum est constans fiducia, in Dei gratia atque promissionibus reposita (cf. 11, 1. 6. 10, 25—27. 39.). In universum conferenda sunt: II, 9. 17. IV, 14. V, 1. 5—9. VII, 23—27. VIII, 3. 7. IX, 12. 14. 22. 26. 28. X, 10—12. 14. XIII, 12.

Ex his N. Ti locis, de quibus nunc ipsum non accuratius exponendum esse videbatur, satis patet, quantopere errent illi, qui dogma de morte Christi satisfactoria eaque vicaria uni Paulo ut proprium attribuunt, eamque ob causam eo sunt promtiores ad separandum illud atque ejiciendum e religionis christianae institutione. Tamen id negari nequit, in Pauli epistolis dogma nostrum ut summum ac principale totius doctrinae prae reliquis omnibus eminere et ab omni parte perfectum atque absolutum proponi.

Epicrisis.

Quae quum ita sint, nullus datur dubitandi locus, quin inter Apostolos potissimum Paulus docuerit, inesse in morte Christi vim satisfactoriam, eo quidem sensu, quem initio hujus commentationis ipse exposui. Sed, ad quam a viris doctis tam varie responsum esse cognovi, quaestionem de hujus dogmatis gravitate atque auctoritate, quam etiamnum obtineat in christiana institutione, hanc neque mihi nunc plane praetermittendam duco. Haud defuere, qui dicerent, in eo tradendo descendisse Paulum ad vulgares aevi sui opiniones, neque quicquam inde ad nosmetipsos pertinere aut semper valiturum esse. At quamvis doctrinae de Messia passuro populique peccata expiaturo vestigia et in V. Ti libris et in toto religionis Judaicae ingenio deprehendantur[1]), neque dubium esse possit, ipsius Jesu populares nonnullos, quippe ingenio aetatis suae multo superiores, eandem exspectationem animo imbibisse, ac denique parum verisimile sit, in seriorum Judaeorum christologiam[2]) Messiam passurum irrepsisse demum post eventum; tamen Apostolus neque prudenter, neque recte egisse putandus foret, si τὸ σκάνδαλον τοῦ σταυροῦ (cf. 1 Cor. 1, 23.) tanquam divini evangelii summam non praedicasset, nisi talis accommodationis causa. Id maluerim statuere, Paulum cum Apostolis reliquis ipsius Christi effatis edoctum, in toto opere salutari divinitus instituto maximi momenti faciendam esse Servatoris passionem ac mortem, ejusque necessitatem ipsorum prophetarum veterum vaticiniis confirmari, eo ardentius ac studiosius dogma de morte Christi expiatoria arripuisse atque excoluisse, quo magis aptum esse intelligeret ad cultum sacrificalem et Hebraeorum et gentilium in omne tempus abolendum. Accommodatio igitur quaedam dici profecto potest, quanquam nescio an rectius, quam tota religio nostra, singulari Dei ductu humano generi donata, ejusque rationibus mirifice consentanea. Neque tamen vero tanquam Paulinae sive potius Judaicae eruditionis probabile et laudabile commentum

---

1) Cf. Lücke: *Comment. z. Ev. Joh.* (1820) *I, p.* 470. Umbreit: *Theol. Stud. u. Crit. I, 2, p.* 295. Hengstenberg: *Christolog: I, p.* 252. *aliique.*

2) Cf. inprimis De Wette: *De morte Chr. etc.* inde a pag. 57.

illud Pauli dogma a nobis nunc parvi aestimandum aut adeo abjiciendum est, nisi forte Paulum ipsumque Christum nosmetipsi nobis fingere velimus [1]). Etenim ut de dignitate religionis nostrae divinae quicquam detrahat, aut arbitrariam eam reddat et artificiosam, aut denique verae virtutis nervos incidat: tantum abest, ut testetur illius divinitatem, in qua cum simplicitate juncta est sublimitas atque necessitas, ut sanctis aeternisque animorum satisfaciat desideriis, pietatemque in iis incendat integerrimam. Quod fuerunt, qui dogmatis veritatem male intelligerent adeoque inde sibi peterent peccandi licentiam: id non jure ipsum suspectum reddit, sed documento est, optima quaeque detorqueri posse, monetque veram ejus rationem ac sensum diligenter distinguere ab opinionibus temere affictis. Atvero quemadmodum expellit perniciosissimam morum pestem, pietati nunquam non vehemeter adversantem, superbiam: ita excitat et conservat animi modestiam, absque qua nulla unquam vera consistit virtus. Atque licet hominum vel optimorum vita nunquam ita sit comparata, ut ad perfectam virtutem pervenisse et suo quodam jure favorem Dei aeternaque praemia promeruisse sibi facile videantur: tamen non despondendus est animus, non tristitia et angore de statu post mortem futuro est cruciandus; etenim grave semperque valiturum nobis exhibitum est pignus clementiae divinae, ac nobismetipsis sumus conscii, peccatis nostris veniam impertiturum esse Deum et justissimum et benignissimum, siquidem cui nomen dedimus, eidem vitam quoque dedamus et mentem Christi, quantumcunque possumus, in nostram mentem fideliter recipiamus. Ita demum optimo jure dici potest: **Per Christum Deum nobis factum esse patrem, omni metu expulso, amore pio in animis effuso!**

---

1) Cf. quae egregie dicit **Winzerus**: *De sacerdotis offic. etc. Comment. III, p. XVI: Denique non necessario statuendum, Christi sacerdotis appellationem nostro tempore, nisi cum Iudaeis ad sacra nostra perducendis disputemus, proprietatem suam vimque omnem perdidisse. Potest enim illa nostri etiam omnisque aevi hominibus luculenter atque efficienter ostendere, unum eundemque esse Christum sacerdotem etc.; illum omnibus delictorum veniam morte inprimis sua impetrasse adeo, ut nullo amplius sacrificio, nullis sacerdotibus humanis opus sit; per eum omnes libero ac confidenti animo ad Deum accedere posse; nec superesse quidquam, quod ipsis fidei ope ad veram pietatem et virtutem enitentibus, vel nunc, vel in posterum timorem injiciat, aut vitae salutisque aeternae spem eripiat.*

INDEX.

TYPIS B. G. TEUBNERI.